CATALOGUS
Librorum Manuſcriptorum
BIBLIOTHECÆ
COTTONIANÆ.

Cui Præmittuntur

Illuſtris Viri, D. *ROBERTI COTTONI*,

Equitis Aurati & Baronetti,

VITA:


ET

BIBLIOTHECÆ COTTONIANÆ

HISTORIA & SYNOPSIS.

Scriptore *THOMA SMITHO*,


Eccleſiæ *ANGLICANÆ* Presbytero.



OXONII,

E THEATRO Sheldoniano. MDCXCVI.

2



D. ROBERTUS COTTONUS BRUCEUS

... COTTONIANÆ ...



Nobilissimo Viro,

D. JOANNI COTTONO

BARONETTO,

POLITISSIMI INGENII,

SOLIDÆ ERUDITIONIS,

Egregiæ erga literarum studiosos benevolentiæ,
& veræ pietatis laudibus insignissimo:

THOMAS SMITHUS,

Ecclesiæ ANGLICANÆ *Presbyter*,

BIBLIOTHECÆ COTTONIANÆ CATALOGUM,

Ipsius permissu & auspiciis,
Recognitum, auctum, elimatum,
Jamque in commune literarum commodum
Publica luce donatum:

ITEM

Illustris Viri, D. *ROBERTI COTTONI*, Equitis Aurati & Baronetti,

VITAM

ET

BIBLIOTHECÆ Incomparabilis,

Exquisitissima cura maximisque sumptibus conditæ,
Historiam & Synopsin:

Omni cum debita observantia ac officioso affectu

D. D. D.

Effatum Sapientis Hebræi: Ecclesiastici xx. 32.

Sapientia absconsa, & thesaurus invisus; quæ utilitas in utrisque?

LECTORI

S.

DUM per octennium, & quod excurrit, ita vertentibus fatis, in hac Urbe, non tam exoticarum mercium quam eruditionis & literarum omnis generis emporio, degerim, si quoquo modo Patriæ bonisve literis prodesse possem, serio apud me, repetitis subinde cogitationibus, deliberare solitus, id ipsum quidem maxime & impensissime in votis habui, tum ut mentem ægram honesto hoc de aliis bene merendi proposito, tanquam dulci medicamine, resocillarem; tum quoque ut aliquam saltem otii rationem Amicis, qui exigerent, quantum vires, affecta valetudo, reliquaque, quibus assueverim, studia essent permissura, redderem. Illa vero mora in non mediocre mihi cessit bonum, quod inde Viros, natalium & titulorum splendore, illibata pietate, antiqua fide, ac solida eruditione perquam illustres propius nosse, frequentius invisere, coramque alloqui contigerit. Horum autem agmen ducit Vir nobilissimus, D. JOANNES COTTONUS *Baronettus, qui me antea à multis annis ipsi cognitum, ex quo natali solo redderer, arctiori amicitia & familiaritate, qua vix major inter Viros probos, sive paris sive disparis fortunæ, reperiri poterit, complecti pro insigni sua benevolentia dignatus est. Hinc mutuum istud literarum commercium; hinc frequens & suavissima consuetudo, & millies habiti repetitique de re literaria sermones intercessere; hinc denique cumulata munera, & hospitalis illa benignitas, quam ipse, tum in magnificis ædibus* Westmonasteriensibus, *tum rure, quasi fuissem domesticus, vel potius illustrem familiam aliqua cognatione attigissem, exceptus, sæpe expertus sum, effluxere. Sed hisce animi erga me benevoli indiciis, utut maximis, & a me indesinenter prædicandis, accessit, tanquam istius cumuli apex, promptissima illa indulgentia, per quam mihi illius bibliothecam incomparabilem omni tempore adire, membranasque sacras, vetusti ævi reliquias, evolvere licuit. Non alibi sane, ne quidem in Regum & Magnatum palatiis, opulentissimo & superbissimo, qui spectantium oculos insolito splendore perstringit, apparatu fulgentibus, memini me aut majori perculsum fuisse admiratione, aut sinceriorem, qua mens perfundi solet, percepisse voluptatem: quarum utraque, contraquam in cæteris rebus usu venit ex frequenti visu, tractatione, & usu, quoties nimirum venerandum illud sacræ antiquitatis sacrarium ingredior, usque augetur. Hic vivere, hic mori libet. Ut vero observantiæ, obsequii, & affectus, quibus erga familiam* Cottonianam, *tot nominibus obstrictus, feror, qualequale testimonium exhiberem, simulque aliis, qui in eruendis illustrandisque patriis antiquitatibus & historiis occupantur, accensa hac face, prælucerem, illius nimirum famæ & honori propagandis intentus, illorum vero studiis, quos thesaurus iste literarius latet, inserviturus, nobilissimum Possessorem dudum rogavi, ut catalogum librorum MSS. qui in bibliotheca ipsius reconduntur, in publicam lucem edendi facultas mihi concederetur: de qua re multos sermones, quavis occasione data, conseruimus. Ille vero, tum ne opes literarias intempestive ostentare videretur, tum aliis de causis, cum id ne quidem Avo & Patri in mentem unquam venisset,*

venisset, nondumque catalogi MSS. codicum insignissimarum bibliothecarum, tam in Anglia, quam alibi terrarum, quos Principes & Magnates munificentia tanto rerum fastigio pari undique conquisitos congesserint, typis prodiissent, isthoc tempore intercessit. Interpellavi tamen subinde, cum id satis ex æquo & decoro agere possem, tandem aliquando potiundi desiderii non vana spe illectus. Quo autem propositi, cujus eram tenacissimus, facilius compos fierem, Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum, D. Gulielmum Sandcroftum, *Archiepiscopum* Cantuarienſem, τὸν μακαρίτην, *dum adhuc in ædibus suis Lambethanis degeret, consului, qui institutum laudavit, miraque suavitate, ut veteres catalogos mutilos & imperfectos, & mille erroribus, uti dixit, scatentes, recognoscere, vel potius novum contexere vellem, me satis volentem incitavit: interim tamen, quod dissimulandum non est, monens, ex argumentis alterutrinque agitatis, ea, quæ ejusmodi editionem, prout illa tempora ferebant, differri oportere suadent, sibi longe fortiora videri. Ita res ista tanti Judicis arbitrio, ex quo, prout convenisset, tota tum pendebat, composita videbatur. Veruntamen sciat cordatus Lector, si id quenquam Anglum, nisi domi plane hospes & animo a bonis literis alienissimo sit, latere possit, utrosque Viros magnos, publicæ literarum utilitatis studiosissimos, tempori aliisque circumstantiis, quibus publicæ res nostræ implicitæ erant, hac ex parte velificatos fuisse: cum vix aliqui, sive ex Præsulum sive ex Nobilium consessu & ordine per universam Angliam hoc seculo reperiendi sint, qui aut literas impensius fovent, aut codices suos MSS. literatis lubentiori animo impertiuntur. De bibliotheca* Cottoniana, *quasi non unius familiæ, sed totius gentis esset, & ex publico decreto, pariter ac Fundatoris destinatione, tanquam in centro* Angliæ, *Westmonasterii, quo Comitiorum, tum Parlamentariorum, tum forensium, causa Viri nobiles ex quavis provincia confluunt, collocaretur, tot testes habeo, quot sunt rei antiquariæ & historicæ gnari, imo & studiosi, omnium ordinum & Professionum homines, sive nobilioris prosapiæ, & sola virtute & eruditione commendabiles; Theologos, Heraldos, Medicos, Jurisperitos, (ne leguleiis inferioris subsellii, & bibliopolis lucro maxime inhiantibus, si quippiam inde, sive ad jus privatum tuendum, sive ad historiæ veritatem promovendam excerpi possit, exceptis) Academicos, cæterosque indigenas, & advenas quoque, si qua laude ingenii inclaruerint, ad sacra hæc adyta, jam fere per integrum seculum, admissos. Hinc perspectissimum habebis, nobilissimum D.* Cottonum *non ex invidia, quæ in pectus candidissimum, gratiarum & bonitatis sedem, cadere nunquam potest, sed ex modestia, veræ nobilitatis comite, ab edendo catalogo hactenus abstinuisse. Sed en mutati consilii rationem!*

Cum Primores celeberrimæ Academiæ Oxoniensis quibus rei typographicæ cura demandata est, literarum longe lateque propagandarum studio, librorum MSS. Bibliothecarum, tum Bodleianæ, tum singulorum Collegiorum, quorum ingens illic suppetit thesaurus, nec fortasse alibi aut ditior aut amplior reperiendus, catalogum luce publica donare constituissent, operis curam in se suscipiente Viro optimo & præstantissimo, mihique longo amicitiæ usu & arcta necessitudine conjunctissimo, D. Edwardo Bernardo, *sacræ Theologiæ Professore; cumque Viri honoratissimi & nobilissimi, D. D. D.* Henricus *Comes* Petriburgensis, Henricus *Comes* Clarendoniensis, *Comes* Carleolensis, *aliique non pauci, tam in* Anglia, *quam in* Hibernia, *tum dignitate tum eruditione insignes, quibus isthæc merx literaria in magno est pretio, symbolas suas certatim contulissent: tot magnorum Virorum exemplo incitatus, D.* Cottonus, *ne Avi, Patris, & familiæ honori, ne sibi, ne publico literarum commodo deesse videretur, se a me facile exorari passus est. Et eo quidem facilius, ne quispiam male-*

maleferiatus bibliopola, apud quem plus valet pecuniarum quam æquitatis amor, graſſante propemodum impune tali perfidia, ſurreptitium exemplar, multiſque partibus mutilatum, fœdiſſimiſque erroribus refertiſſimum, vel ipſo vivente, orbi literato obtruderet: hac æquiſſima conditione propoſita, ut catalogus iſte, ab aliis ſejunctus, ſeorſim ederetur, nec in alieni operis appendicem cederet. Quo fretus auctoramento, me ad opus laborioſum perquam alacri animo accinxi, tandemque ſingulis codicibus, qua potui cura & judicio, exploratis, mediis licet angoribus poſitus, aſſiduis, utut lentis, paſſibus ſtadium iſtud percurrens, poſt aliquot menſes abſolvi: abſolutum ad teſtandum erga Matrem Academiam affectum & obſequium, interveniente D. Bernardo, *typis Sheldonianis imprimendum facilis & lubens permiſi. Jam quid a me præſtitum ſit, cum id ut noris, & tua & mea non parum intereſſe putem, paucis oſtendam.*

Non eſt, quod quiſpiam cogitet, bibliothecam hanc quaſi antea inacceſſam inexploratamque, tanquam novum literarum orbem a nemine luſtratum, jam aperiri cœpiſſe. Fundator, ſi quis alius, libros, quos ingenti pretio acquiſiverat, ſedula verſavit manu, & catalogum, quem inter illius Schedas reperi, ipſe confecit. Alium quoque magnus Seldenus, *cui hæc bibliotheca non minus erat cognita, quam ſi ſui juris & peculii fuiſſet, illic reperiendum adornavit: utrumque admodum brevem, in modum nudi indicis, libros quoſque abſque aliqua accurata ſingulorum argumentorum enumeratione denotantem. Neque id alio animo, niſi in privatos uſus, factum videtur: labore iſtam pretioſam ſupellectilem penitius explorandi aliis, qui otio abundantes rem iſtam unice agerent, reſervato. Tandem huic negotio apprime parem, cum unum & alterum ſibi commendatum rejeciſſet, nactus eſt D.* Robertus Cottonus, *viz.* Ricardum Jameſium, *Collegii Corporis Chriſti in* Oxonio *Socium, virum doctiſſimum, &* Anglicarum *antiquitatum perquam ſtudioſum, quem ædibus ſuis lauto ſtipendio aſſignato excepit. Ille vero non tam familiæ* Cottonianæ *cliens, quam gratus hoſpes & intimæ admiſſionis amicus, libros MSS. qui ob antiquitatem & uſum longe majoris erant pretii, & potiſſimum rerum* Anglicarum *Hiſtorias, Chronica, & Annales accurate evolvere ſuarum eſſe partium credidit, è quibus ingentem obſervationum molem, in bibliotheca Bodleiana* Oxonii *repoſitam, indefeſſa induſtria collegit; tractatuum, quotquot erant in iſtis voluminibus ſimul compacti, & ob argumentorum varietatem diſtincti, titulis in fronte prænotatis. Et ſane ſi omnes codices evolviſſet D.* Jameſius, *ab iſthoc labore, quem exantlavi, tanquam ſupervacaneo, mihi plane fuiſſet ſuperſedendum, & ipſius notationes poſt diligentem cum libris originalibus collationem exſcripſiſſe ſuffeciſſet. Sed multos codices, aut omnino intactos, aut levi manu tactos, ſive ex immodico quoſvis fere libros hiſtorici argumenti legendi, & excerpta in Adverſariis reponendi ſtudio, ſive ægritudine ex vigiliis aſſiduiſque irrequieti animi laboribus contracta impeditus, aliorum diligentiæ examinandos reliquit; tandemque in ædibus* Cottonianis*, quas fortunarum ſuarum, poſthabita omni ambitione & ſtudio opimum Sacerdotium aut præbendam, quibus erat digniſſimus, aucupandi (reſervato tamen ſodalitii, quod in Collegio ſuo habuit perpetuum, jure) tanquam placidam ſedem elegit,* A. D. MDCXXXVIII. *diem ſuum obiit, a D.* Thoma Cottono *in templo vicino S.* Margaritæ *ſacrato honorifice ſepultus. Porro ab illo tempore multi codices a Viris clariſſimis pro amore erga rem antiquariam & bibliothecam* Cottonianam *dono dati, aut a nobiliſſimis Viris, DD.* Cottonis, Thoma, & Joanne, *avitæ gloriæ maxima cum laude æmulis, pecuniis ſuis comparati acceſſerunt. Licet autem D.* Jameſii *diligentiæ diffidere pene nefas videretur, malui tamen, ac ſi neminem in hac ſalebroſa via præeuntem habuiſſem,*

habuissem, illa omnia nova exploratione retractare, singulis cujusque libri paginis inspectis, proprio judicio usurus. Quam feliciter hac ex parte laboratum fuerit, quam multa tum addita, aut a nemine praeflorata, nondumque in indicem relata, aut quae ad planiorem plenioremque librorum intelligentiam faciunt, tum emendata, quod praefiscini & absque omni vel minimae vanae ac stultae ostentationis labe dixerim, alii, qui hunc catalogum cum altero, cujus non pauca exemplaria apud quosdam Viros clarissimos, thesaurum Cottonianum *qualiquali indicio scrutandi cupidissimos, reperiuntur, collaturi sunt, ex aequo judicabunt. Interim ingenti aliorum, praesertim D. D. D.* Richardi Jamesii, Jacobi Usserii Armachani, *&* Gulielmi Dugdali, *industria me non parum adjutum, prout ingenuum & probum virum, ex hoc mustaceo laureolam neutiquam quaerentem, decet, gratus profiteor: in quos non minimam laudis, siqua manet, partem derivari libentissime sinam.*

Titulos librorum, vel ab ipsis Auctoribus, vel a Librariis appositos, syllabumque argumentorum, si quis praefigeretur, fideliter, ne dicam scrupulose nimis, vocibus, quae sequioris aevi barbariem plane sapiunt, servatis, retinui: in aliis, ubi id licuit, adhibito puriori delectu. Frustra autem exspectabis, specialem omnium chartarum, diplomatum, epistolarum, aliorumque instrumentorum, quae in Registris Monasteriorum, collectaneisque, quorum ingens est copia de rebus nostris, tum domi, tum cum exteris gentibus circumcirca vicinis olim transactis, continentur, enumerationem, quorum vel nudi tituli in spissum volumen excrescerent: hoc enim vix unius hominis est opus, saltem non nisi multorum annorum curriculo perficiendum. Ad fontem, ex quo sitim tuam explere possis, digitum intendere in praesens tantum licet. Quaedam tamen rei in posterum faciendae specimina in catalogo dedi, praecipue, ut caetera taceam, dum duos praeclaros codices, viz. sub Augusto II. *& sub* Nerone C. III. *antiquis diplomatibus refertos, summo cum labore & studio excussi. Sed de istis diplomatibus, aliisque, hactenus inexploratis aque communi usu seclusis, quae in pyxidibus restant, veteris aevi monumentis, item de variis antiquorum characterum figuris, sigillis, numismatibus, iconibus, reliquoque supellectilis antiquariae apparatu disserendum erit, si quando aliquot Analectorum tomos in lucem dedero. Sed de hac re per afflictam valetudinem ingravescentemque aetatem, ne caeteras vitae meae molestias memorem, quippiam certi apud me constituere in praesens neque debeo neque audeo.*

Mecum dolebis, & pariter obstupescendum ac deplorandum videretur, tot libros, quod ex vacuis locis in Catalogo cuivis facile apparet, hodie desiderari, nisi thesaurum quoque literarium peculatui obnoxium esse, & pro summis beneficiis non semper bonam gratiam rependi solere, crebris exemplis constitisset. Non ita egregia Cottonorum *humanitas, quae illorum gentilitiae dignitatis peculiare decus est, tam male, & praeter omne jus fasque, mulctari debuit. Utinam illorum, qui mutuo acceperunt, aut haeredum, in quorum manus pervenerint, fides vel paria fecisset! Post sexaginta annos codices Manuscripti, opera* Roberti Grosthead, *Episcopi* Lincolniensis, *complexi, quos D.* Joannes Williams, *Custos magni sigilli* Angliae, *& ejusdem sedis Episcopus, cura & consilio ea omnia, pro amore erga memoriam optimi & doctissimi Decessoris edendi, ab ipso D. Fundatore olim mutuo acceperat, in bibliotheca Collegiatae Ecclesiae* Westmonasteriensis, *cujus idem quoque erat Decanus, grassante rebellione Parlamentaria, repositi, tandem restituuntur: & pretiosissimum illud cimelium, librum Geneseos, Graece characteribus majusculis exaratum, sub* Othone B. VI. *a vidua nobilissimi cujusdam Magnatis ante paucos annos, triginta aureis Guineianis numeratis, redemit D.* Joannes Cottonus. *Memini me chartam authenticam R.* Joannis, *in qua jura & libertates* Angliae *stabiliuntur,*

untur, sigillis Baronum, qui tum aderant, appensis munitam, a D. Edwardo Deering *Cantiano, Equestris dignitatis Viro, in tesseram observantiæ & amoris, quibus erga D.* Cottonum *Fundatorem ferebatur,* A. D. MDCXXX. *dono datam, olim sæpe vidisse, & manibus meis tractasse, quæ nescio quo malo dolo jam sublata est. Crimen quasi sacrilegio proximum omnes boni quibus inest justitiæ & æquitatis amor, execrantur, & non minimam religionis partem in ablatis vel mutuo acceptis restituendis collocant: nec exceptiones de jure possessorio, qualicunque prætextu acquisito, contra vindicias veri Domini, à quo ejusmodi res sacræ, quæ hæreditatem sequuntur, abalienari non possunt, sunt admittendæ. Utinam vero ii, qui codices* Cottonianos *apud se retinent, imitarentur exemplum cujusdam probi Viri, qui antequam moreretur, solenni verborum formula illic inscripta, amicos superstites obnixe obtestatus est,* ut propter amorem Dei librum istum, quem apud se habuit, Bibliothecæ Cottonianæ restituendum curarent.

Ex hoc Catalogo, jam in publicam lucem producto, de hujus Bibliothecæ præstantia cuivis luculentissime constabit: cujus fama non tantum universam Angliam, *sed orbem Christianum, literarum studiis ubiubi florentem, pervagata est. Nec mirandum videbitur, si qui, præ immodico* religionis Catholicæ *sibi, seclusis aliis, qui longe meliori jure augustum istum titulum vendicant, falso arrogatæ zelo, tanti thesauri possessionem, limis oculis intuentes & malo animo affecti, nobis inviderint. Hinc consilium illud Ducis Pastranæ, qui olim nomine R.* Philippi III. *Regis Hispaniæ Legati extraordinarii in* Anglia *functus est, quod in libro, cui titulus,* vox populi, *sive* nova ex Hispania advecta, A.D. MDCXX. *edito, reperitur, de selectissimis libris, bibliothecæ* Cottonianæ, *si forte post mortem conditoris qualicunque casu distrahi & venundari contigerit, quovis pretio comparandis effluxit. Sed de tali jactura, quam omnes boni deprecantur, sedulo cavebat, dum in vivis erat, D.* Cottonus, *qui Bibliothecam suam, tanquam præclarissimam amplæ hæreditatis in seros nepotes derivandæ partem, perpetuam fore, & in æternum familiæ* Cottonianæ *decus mansuram, ut latius in vita illius ostendi, ultimis tabellis curavit. Nec minor, uti in Filio, ita in Nepote jam inest cura ejusdem in omne ævum conservandæ, quantum humana prudentia provideri possit: quod tu quoque mecum, Lector, si quis pietatis erga Patriam, si quis grati animi erga illustres* Cottonos, *de bonis literis deque patriis antiquitatibus optime meritos, sensus sit, flagrantissimis votis precaberis.*

Catalogo nobilissimi Viri, D. Fundatoris, vitam, quantacunque licuit accuratione a me descriptam, tanquam τηλαυγὲς πρόσωπον, *præfigendam curavi: in qua plurima, regnante serenissimo Rege* Jacobo *primo, maxime memorabilia, quorum non modicam summa cum laude partem sustinuit D.* Cottonus, *enarrantur: plurima vero, quæ ad illum propius spectant, aut è chartis ipsius originalibus in Bibliotheca repositis, aut a nobilissimis Viris, D.D.D.* Cottonis, *viz. D.* Joanne *Baronetto, a me in perpetuum memorando, D.* Roberto, *Equite Aurato, & D.* Philippo, *Armigero, D.* Thomæ *filiis, & D.* Roberti *nepotibus, Fratribus non tam naturæ & sanguinis quam mutui amoris & amicitiæ nexu conjunctissimis, partim familiari conversatione, partim literis, edoctus sum. Addidi quoque compendiariam Bibliothecæ* Cottonianæ *Historiam & Synopsin, tum ut in antecessum, quinam & quales libri illic existent, docearis, tum ut illa, si historiæ Anglicanæ studium tibi arrideat, per insignem præstantissimi Possessoris humanitatem, commodius & felicius uti possis. Denique, licet, ut Catalogum integrum diligenter perlegas, inde quicquid magis arriserit, studiisque tuis conducere judicaveris, annotaturus, tua non parum interesse, certa fide ductus, spondeam, si tamen labor iste, (si tamen labor*

dici possit) ingratus & difficilis videatur, duplicem Auctorum & rerum indicem, tum ut majori tuo commodo, tum ut memoriæ consulam, confeci: Indicem, inquam, alterum præcipuarum rerum & argumentorum: si enim omnia vel levioris momenti annotassem, ipse catalogus, ad ordinem Alphabeti reductus, esset denuo exscribendus.

Siquid vero me hisce laboribus de te bene, aliquantillum licet, mereri pro candore & æquitate mentis tuæ, credas, non aliam gratiam rependendam peto, nisi ut mihi, si, quod vix summa diligentia præcaveri possit, in tot mille rerum argumentis recensendis alicubi erraverim, benigne ignoscas, & pro pace & tranquillitate orbis Christiani precibus tuis apud Deum Opt. Max. ex pio pectore effusis intercedere velis. Vale.

T. S.

Westmonasterii

xx. Decembris Juliani, anno
salutis reparatæ MDCXCV.

ADDENDA

ADDENDA.

Tiber. B. iv. ad finem n. 2. pag. 22. add. Saxonice.

Tiber. C. vii. *p.* 25. post hæc verba, *ad tempora R. Richardi* ii. adde, Liber videtur scriptus propria Auctoris manu. Ad finem primæ paginæ occurrunt versus, qui inscribuntur, *Lamentum Compilatoris*, in quibus queritur se cæcitate perculsum fuisse:

Sum cæcus factus, subito caligine tactus,
Non opus inceptum jam corrigo, forsan ineptum, &c.

Auctoris nomen, *Henricus Cnitthon*, ut ab antiqua manu illic annotatum reperio, literæ initiales totidem sequentium capitulorum ostendunt: quæ etiam iterum repetuntur.

Domitian. ix. ad finem n. 4. pag. 134. adde Saxonice.

Faustin. A. v. ad finem n. 10. adde

Liber olim S. Mariæ de Fontibus, donatus a Thoma Alleno Oxoniensi, qui illum ab Henrico Savilio acceperat, A. 1589.

CORRIGENDA

In Catalogo.

PAg. 2. a. *l.* 31. Joanne de Balliol. v. *l.* 13. sollicita. *p.* 3. a. *l.* 43. & a tempore. *p.* 8. a. *l.* 38. vadiorum. *p.* 10. b. *l.* 34. Pasluvii. *p.* 11. a. *l.* 28 in archivis. *p.* 19. a. *l.* 41. pro iis, qui. *p.* 20. a. *l.* 6. Domerham. *p.* 35. a. *l.* 22. Apuleu, *l.* 58. de anno, mundo. *p.* 36. a. *l.* 4. in qua b. *l.* 20. sedis. *p.* 37. b. *l.* 39. fundati. *p.* 39. a. *l.* 21. Episcopi Exoniensis. b. *l.* 20. Edwardi iii. & *l.* 38. Gloria invidiae Trinitatis. Scriptus est enim hic. *p.* 69. a. *l.* 19. Vitæ SS. *l.* 44. Arfastum. *p.* 70. a. *l.* 8. Hospitalariorum. Ita *p.* 72. *p.* 70. b. *l.* 52. menses in fine apponitur. x. Liber Homiliarum. *p.* 75. b. *l.* 8. chartæ. *p.* 77. b. *l.* 1. avicula. *p.* 82. b. *l.* 44. Dublinii, 1632. *p.* 85. a. *l.* 5. divisis &. *p.* 92. b. *l.* 33. pro Thomæ, *lege*, Roberti. *p.* 94. b. *l.* antepen. Boxleia. *p.* 99. *l.* 11. a. ad annum 1363. *p.* 100. a. *l.* 43. desumpti. *p.* 105. b. *l.* 19. triplicatum. *p.* 106. a. *l.* 59. Michaele. *p.* 112. a. *l.* 11. ternarii. *p.* 129. a. *l.* 32. timoratos. *p.* 135. a. *l.* 61. riveriarum. *p.* 136. b. *l.* 45. de domibus religiosis. *p.* 141. a. *l.* 55. *dele*, aliorum. *p.* 144. & *p.* 155. litera pro literæ. *p.* 147. b. *l.* ult. Jacobi septimo. *p.* 158. b. *l.* 14. Retene. *l.* 23. Lydgati.

In Vita & Historia.

PAg. 5 b. *l.* 50. vix imputandum. *p.* 6. a. *l.* 34. pro impote, *lege*, uno nimirum. *p.* 7. b. *l.* 44. tenendas. *p.* 9. a. *l.* 50. titulis. *p.* 10. a. *l.* 19. editorum, partim edendorum. *p.* 12. a. *l.* 31. debitos. *p.* 15. a. *l.* 15. oppignoratis. *l.* 53. causa in usum revocata. *p.* 16. b. *l.* 46. dialogo isto. *l.* ult. Jacobus Augustus. *p.* 17. a. *l.* 33. strictiusque. *p.* 18. a. *l.* 53. *dele* esse. *p.* 19. *l.* 13. opinari. *l.* 54. pro 1530. *lege*, 1503. *p.* 20. a. *l.* 55. pro 1625. *lege*, 1623. *p.* 21. a. *l.* 55. confessum. *p.* 24. a. *l.* 50. ex isto. *p.* 25. a. *l.* 42. triennio. *p.* 27. a. *l.* 2. oriunda. *l.* 48. Barkhamo. *p.* 28. ad finem, Reinerius. *p.* 38. a. *l.* 32. utuntur. b. *l.* 52. misere. *p.* 41. b. *l.* 31. illorumque. *l.* 50. syllogæ, & de *p.* 45. b. *l.* 4. Domni.

VITA

VITA

D. *ROBERTI COTTONI*,

Equitis Aurati & Baronetti:

Scriptore *THOMA SMITHO*,

Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.



VITA
D. *ROBERTI COTTONI*,
Equitis Aurati & Baronetti:
Scriptore *THOMA SMITHO*,
Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.

DOMINUS Robertus Cottonus natus erat XXII. die Januarii, anno Dominicæ incarnationis M. D. LXX. juxta computum Ecclesiæ Anglicanæ, in viculo, qui vocatur Denton, aviti patrimonii appendice non ignobili, in comitatu Huntingdoniensi, prope Coningtonam, antiquam familiæ sedem; Patre V. C. Thoma Cottono Armigero, ejus nominis a proavo recta linea quarto, Matre Elisabetha, filia Francisci Sherley de Stanton, in comitatu Leicestriæ. Dentonam secesserant Parentes non longe post initum matrimonium, tum ut splendidius pro dignitate natalium, aucto famulorum numero, viverent, tum ut magis sui juris fierent, ab ædis paternæ incommodis, ex ampla novorum domesticorum accessione ortis, liberi. Illius genus, tam paternum quam maternum, illustre fuisse, quod ille vita, sublimi ingenio, acri judicio, excelsæ mentis dotibus, meritisque erga patriam & posteritatem in omne ævum duraturis longe illustrius reddiderat, tabulæ genealogicæ, fidelissimæ nobilitatis testes, [a] in privatis cimeliis, & in Collegii Heraldorum, quorum interest præcipue, inter cætera laudatissimæ institutionis munia, nobilium familiarum stirpes in acta referre, registris asservatæ, satis superque demonstrant. Sed (omissa familiæ Sherleyorum stirpe, cujus hodiernum Caput sive princeps est Vir honoratissimus, D. Robertus Sherley, Baro de Ferrariis de Chartley) Majores longe ante tempora R. Edwardi III. floruisse certo constat; inter quos Gulielmus de Cotton, in comitatu Cestriensi dictus, pro more istius seculi, nomina Viris nobilibus, aut a locis, ubi nati erant, aut a prædiis, quæ gratia & favore Regali aut virtute bellica adquisiverant, pleraque ex parte imponentis, quæ postea in agnomina gentilitia transiere. Ab hoc genitore quamplurimi præclarissimi Viri, in varias Angliæ provincias, prout frequenti usu ex matrimoniis aliisque accidentibus venire solet, propagati, progerminarunt; in quorum gesta inquirere & ex annalibus gentis nostræ eruere non vacat, nec si vacaret, animus est: cum Genealogica parce admodum & levi digito tractare, & præterea non totius familiæ Cottonianæ historiam, sed solius Roberti, qui majorum suorum gloriam & digne sustinuit, & non parum quoque auxit, vitam brevi compendio describere proposuerim.

Hujus abnepos, Gulielmus paternæ hæreditati addidit amplos Gualteri de Redware in comitatu Staffordiensi fundos, cujus filiam & hæredem Agnetem in uxorem duxerat. Ab hoc autem Proavo ortus est Gulielmus Cotton, filius secundus, multis quoque magnisque affinitatibus tam ab avo Joanne, quam a patre Ricardo milite, (quorum ille anno XII. R. Henrici IV. Isabellam, filiam & hæredem Gulielmi Falconeri de Thurcaston in comitatu Leicestriæ, hic Elisabetham, sororem & cohæredem Hugonis Venables militis, tori conjugalis consortes habuere)

a Julius F. VIII. *in registro visitationis comitatus Huntingdoniensis, per Nicolaum Carolum, Heraldum titulo Lancastriensem, anno* 1613. *facta.*

 contractis,

contractis, qui maximum familiæ suæ decus intulit ex felicissimo connubio, quod cum Maria, Roberti Wesenhami filia & hærede, tempore R. Henrici vi. habuerat. Hic, unico relicto filio Thoma primo, in funestissimo bello, quod universam Angliam per sexaginta præterpropter annos miserrimum in modum afflixerat, duabus familiis regiis, Eboracensi & Lancastriensi, de summa rerum ac jure coronæ acerrime contendentibus; [b] in prœlio ad S. Albanum 23. Maii, anno xxxiii. R. Henrici vi. anno 1455. occidebatur. Inde Coningtona, pars hæreditatis illius lectissimæ fœminæ, illustrissimis natalibus oriundæ, in familiam mariti jure perpetuo transcribitur: inde quoque summus honor affinitatis cum serenissimis Regibus Scotiæ initæ ad posteros derivatur. Illa enim Maria fuit proneptis Joannis Brus de Conington & Exton ex Agnete filia & cohærede, illius avia. Joannes autem Brus recta serie descendit a Bernardo Brus, ejusdem nominis primo, secundo filio Roberti Brus, Domini de Annandale in Scotia, & Isabellæ, filiæ & cohæredis Davidis secundi, Comitis Huntingdoniæ. Bernardus autem ille prædium de Conington, quod jure matris cum aliis latifundiis possederat, filio & nepotibus transmisit. Illud vero, deficiente prole mascula, in peculium prædictæ Agnetis, istius propaginis familiæ Cottonianæ celeberrimæ propagatricis, ex legibus Angliæ municipalibus tandem cessit. A Roberto autem, filio primogenito ejusdem Roberti & uxoris Isabellæ, serenissimi Reges Scotorum recta linea genus derivant, quos Cottoni, ab eodem Viro nobilissimo per filium secundum prognati, sanguine contingunt. Hoc, postquam serenissimus Rex Jacobus primus regnum Angliæ omni jure tam divino quam humano adeptus esset, id ex publicis tabulariis, fidissimis stirpium genealogicarum custodibus, & contra quorum fidem & auctoritatem, utpote sacrosanctam & irrefragabilem, nulla exceptio obtendi possit, edoctus, palam agnovit: & Robertum nostrum, Virum nobilissimum & magni nominis, sibi cognitissimum, quotiescunque illum familiari sermone de rebus politicis maximi momenti, quod sæpissime fecit, (illud enim meruerat summa rerum Anglicarum cognitio & civilis prudentia, ut fuse indicabo, quanquam splendor iste natalium abfuisset) *Cognatum* pro comitate incomparabili compellavit.

Quod cum ex fide historica compertissimum sit, Roberto nostro vitio verti non debet, quod libris suis, ubi nomen erat apponendum, Brucæi cognomen addiderit. Non enim id factum erat ostentationis aut arrogantiæ causa, sed grato sensu divini favoris, quod ex illustrissima prosapia esset oriundus; & ut inde seipsum & seros nepotes, ex hoc indicio honoris plane invidendi, ad virtutem, & gloriam, & præclarissima quæque studia, quibus patria adjuvari posset, propositis tot illustribus exemplis, fortius incitaret: ne natalibus suis, vel judice invidia, quæ magnis virtutibus, uti & magnis opibus, insidiari solet, aliquo modo impares viderentur.

Neutiquam dubitandum est, quin pro naturali erga filium primogenitum affectu, qui illos majoresque suos venientibus annis esset repræsentaturus, illius animum debito religionis ac pietatis erga sanctissimum Numen sensu, optimisque disciplinis, prout ætas ferebat, imbuendum curaverint parentes. Sub quibus autem præceptoribus, aut ubi, an domi aut schola publica, ubi æmulatio inter pares ingenia & industriam acuere solet, literarum tyrocinia posuerit, anxie disquirere, ut nimium difficile, ita omnino superfluum videbitur. Quam bona indole ac ingenio ad maxima quæque ab ipsa natura efficto præditus, quam optimæ institutionis capax fuerit, maturior ætas postea abunde docuit; adeo ut ab ipsis laudabilibus initiis, quantus Vir tandem aliquando esset evasurus, prudenti æstimatori facile fuerit divinandum.

Adolescens Cantabrigiam mittitur, in splendidissimo Sanctæ & individuæ Trinitatis Collegio inter Magnatum filios educatione Academica in virum perfectum formandus. Ubi, ut fas est credere, non sibi satis esse duxit togam induere, & inter Academicos connumerari, nisi simul animum severioribus studiis, quibus sapientior meliorque erat efficiendus, applicuisset. Multo minus existimandum est, illum ignobili otio aut luxu diffluxisse, aut indulsisse genio, aut in campis horas prodegisse, quasi labor libris legendis impensus pro pœna, aut museum pro carcere haberetur. Istos excessus repressit Academiarum disciplina. Alii erant istorum temporum mores, & longe diversa vitæ in istis Musarum sedibus instituta ratio; quando juvenes nobilissimi ad virtutem & eruditionem incitatis gressibus sibi contendendum esse & sua quam maxime interesse existimaverint: & hoc potissimum, si non unice, egerint, ut in utilissimarum rerum cognitione cæteris essent præstantiores; ut subsidiis literariis instructissimi, ad publica munia accederent paratiores: ut adultiores facti, patriæ magis prodesse possent; ut denique in gratiam Principis virtute & prudentia artibusque optimis se melius insinuarent.

Reversus ab Academia sapiens juvenis industriam non remisit, non ingenium flaccescere, non vigorem mentis deliciis ruris emolliri sivit. In stadio, quod feliciter ingressus est deficere; & fesso aut claudicante pede consistere turpe videbatur, dum tantum spatii superesset emetiendum: quod partim propriæ indoli, vel potius potentiori, quo impulsus erat, genio, par-

[b] *Heraldi de tempore, quo cecidit Cottonus, non conveniunt. Aliqui enim illum in secundo prælio ad eundem locum 17. Febr. anno 1461. 39no. anno R. Henrici vi. cæsum referunt. Sed prior sententia longe altera mihi verisimilior videtur; prout in insigni familia Cottonianæ apud Heraldos stemmate, subscriptionibus trium Regum armorum firmato, reperi: cujus quoque aliud exemplar authenticum ab iisdem Regibus signatum reperitur in pyxide sub* Augusto: *quod huic maxime convenit.*

tim felicitati temporum, in quibus nasci & vivere contigerit, videtur ascribendum. Anglia enim firmissima longaque pace tunc fruebatur, regnante Elisabetha, fœmina si quæ unquam, gloriosissima, & virtutibus vere regiis excultissima; dum circumvicinæ regiones civilibus discordiis distractæ pene ad internecionem igni & ferro vastarentur. Illa autem, utut rigida scelerum, violatæque legum auctoritatis qualicunque prætextu simulatæ religionis Catholicæ aut falsi zeli reformandi errores, sive in Repub. sive in Ecclesia rebus novis studerent fanatici aut superstitiosi homines, sive Genevensis sive Romanæ communionis alumni, vindex, æquissima tamen rerum administratione, & publicæ tranquillitatis prudentissima cura subditorum bene merentium, quibus & sua & patriæ salus erant cordi, animos conciliavit. Ad ipsius vero gratiam nullus, nisi per insignem virtutem, quam recte æstimare, & collatis dignitatibus & benevolentia fovere solita est, patebat aditus.

Quo stimulo incitati Viri nobiles, præsertim quos felix nascendi sors supra vulgus evexit, ad eam obtinendam nihil non ausi, nihil, quod post se gloriam traheret, intentatum, spretis superatisque quibuscunque difficultatibus & periculis, reliquere. Alii artis nauticæ studiosissimi, aut maritimas hostium oras classibus infestarunt, aut extra solis circulum excurrebant, novas regiones quæsituri, quos non æstus fere intolerabilis, non frigus intensissimum, non nivium cumuli, non fluitantis glaciei insulæ deterruere, quo minus circumnavigato orbe per utrumque polum, si daretur via, stupenda plane audacia perrupissent. Alii in Africam & Americam colonias deduxerunt, & ad ditandam patriam alienis mercibus, cum Indis, Persis, & Muscovitis commercia exercuere. Alios militaris gloriæ ardor in Belgium & Galliam sub fortissimis Ducibus merituros provexit. Alii sese dederunt in clientelam & comitatum Legatorum, qui exterorum Principum aulas essent adituri, ut earum mores & versutias coram edocti, iisdem publicis muneribus fungendis idoneos se præstarent. Interim qui domi manserunt, non minus alacres & occupati erant: hos enim vitam desidem & ingloriam vivere, & sibi ipsis pariter ac aliis ignotos esse, & suis laribus abscondi æmula virtus & pudor vetuere. Alii igitur Aulam Principis, sedem fortunarum suarum elegerunt, honestis ingenuisque obsequiis & assidua diligentia Reginæ favorem aucupantes. Alii Magnatibus, quos summa virtus ad summos magistratus & præfecturas provexerat, addicti. Alii, & plures quidem, juris tum civilis tum municipalis studio invigilarunt, utpote quod ad dignitates & opes viam facilem sterneret, ejusmodi periculis præmaturam mortem intentantibus, quæ continuo subeunt milites, neutiquam obnoxii. Alii scientiis mathematicis mechanicisque solertissime intenti, nova quædam inventa & sibi & reipublicæ utilissima, excogitarunt. Alii denique historiis & antiquitatibus Angliæ & antiquorum sæculorum monimentis è spissis tenebris in publicam lucem eruendis (quod maximi usus in rebus civilibus administrandis foret) operam quam maxime laudabilem impenderunt. Singuli nimirum horum pro diverso vitæ instituto, quod suum erat, acri animorum propensione præstare certatim gestiebant.

Inter hos, quos ultimo recensui, Viros nomen suum professus est Cottonus noster, qui Joannis Joscelini, Laurentii Noelli, Gulielmi Lambardi, Gulielmi Camdeni, aliorumque magni nominis Virorum in hac palæstra summa cum laude decertantium, exemplo incitatus, vel potius non sine adflatu propitii Numinis, vix decimum octavum ætatis suæ annum egressus, ad hanc provinciam ornandam serio & impendio se accinxit; & grande quippiam & magnificum in ipsa juventute animo agitans, magna industria & solertia, sumptibusque pene supra opes cujuspiam privati hominis, Bibliothecam, codicibus manuscriptis pretiosissimis rarissimisque refertissimam, tandem absolvit; qua, uti & scriptis suis immortalibus, universam Britanniam, quamdiu erit Britannia, imo & universum orbem Christianum, dum literarum memoria, usus, & honos manebunt, sibi reddidit obnoxium, & tantorum beneficiorum perpetuum debitorem.

Felicissime accidebat, quod cum ineunte superiore sæculo, profligata Scholasticorum barbarie, bonæ literæ, junctis & suave conspirantibus eruditorum operis, communicatisque consiliis, per totam fere Europam renascerentur, sub auspiciis Henrici octavi, literati Regis, & literatorum fautoris amantissimi, historiæ Anglicæ studium laboriose excoli cœpisset. Polydorus autem Virgilius, Romani Pontificis quæstura illo tempore in Anglia fungens, prærepta cæteris hac in re gravissima gloria, antiquitatum nostrarum memorias primus renovavit, generalemque gentis nostræ historiam a primis illius originibus continua serie ad sua tempora eleganti stylo deduxit. In qua si parum accurate in multis egerit, si plura memoratu dignissima omiserit, si falsa veris subinde intermiscuerit, non perfide tamen aut malo animo; sed ex oscitantia, nimia festinatione, minusque attenta auctorum, quos delibaverat, lectione, id sane homini Italo, ni (quod inoffensis Lelandi & Savilii manibus dicendum arbitror) nimium rigidi & iniqui censores haberi velimus, imputandum videtur. Potius tanti Hospitis, qui arduum hoc & diffusissimum opus, nullo præeunte duce, quem sequeretur, magno animo aggressus est, ingenium, industriam, & virtutem debitis, quas promueruit, laudibus, prosequi oportet. Utcunque maxime debetur Polydoro, quod labor iste, in aliena terra impensus, nostratium, quorum intererat historiam accuratiorem & omnibus numeris perfectam absolutamque, si non integram sub uno conspectu, saltem per partes in lucem publicam dari, animos ad justam laudabilemque æmulationem excitaverit: & potissimum Lelandi, qui editis præclarissimis de Antiquitatibus nostris speciminibus, & eximio libro de *illustribus Scriptoribus Britannicis* composito, cui ultimam manum, ut videtur, apposuerat,

fuerat, ingentique Collectaneorum, de quibus alibi fuſius egi, mole relicta, abunde demonſtravit, quanta in hoc genere literarum ab ipſius prodigioſa diligentia eſſent exſpectanda, niſi phreneſi correptus, longe ante ſenium præmaturis fatis ceſſiſſet.

Vterque vero viam monſtravit, qua omnino eſſet inſiſtendum, ſi quiſpiam hoc nobile argumentum ſatis pro dignitate tractare vellet: nimirum ad fontes hiſtoriarum recurrendum eſſe; antiquos Auctores conſulendos, & inter ſe conferendos, ne veritas ſola unius fide niti videretur; chartas & diplomata Regum diligenti verſanda manu; archiva Monaſteriorum Eccleſiarumque Cathedralium exploranda; & bibliothecarum forulos ſacratioreſque receſſus curioſo oculo luſtrandos. Non enim aliunde quam ex actis publicis authenticiſque inſtrumentis certam perfectamque, anteactorum ſæculorum cognitionem haurire licebit. Scriptoribus hiſce vetuſtis, quæ erat illorum temporum infelicitas, bellis undique circumſtrepentibus, & inducta quoque aliis de cauſis barbarie, defuere ſtyli politura & elegantia, non induſtria, non judicium, non amor veritatis. Fruſtra enim ſumus, & invidiæ pariter ac læſæ veritatis arguendi, ſi Monachos, omni cura ſui aut poſteritatis ſuſque deque habita, ventri & gulæ deditos, turpi otio vitam tranſegiſſe criminemur. Certiſſimum enim eſt, ut, cæteris doctrinæ capitibus omiſſis, verba de ſola re hiſtorica habeam, illos, utpote exploratores, teſteſque oculatos & auritos, rerum cujuſpiam momenti ſuis temporibus contingentium memoriam libris mandaſſe, utpote uno & altero in majoribus Monaſteriis ad hoc inſtitutum munuſque obeundum deputatis. Abſque quibus foret, ut de rebus poſt adventum Saxonum in Angliam geſtis nihil comperti haberemus; non minus ac de ſtatu Britanniæ, antequam Julius Cæſar in inſulam appulerit, quid tribus abhinc ſeculis accidiſſet, ſola incerta & fallace traditione confiſi, penitus ignoraremus, & cum noſtris delicatulis comptuliſque elegantiis pene barbari fuiſſemus. Adhæc accedit, ut quicquid cum exteris Principibus, ſive in fœderibus ineundis, ſive in contrahendis nuptiis, ſive in ſtabiliendis commerciis publice tranſactum fuerit, item literas & bullas Pontificum, reſponſa, edicta, & ordinationes Regum, reſcripta Epiſcoporum, conſtitutiones Provincialium Conciliorum, decreta Parlamentaria, cæteraque acta, quæ ad communem Regni & Eccleſiæ ſtatum ſpectant, ea omnia in regiſtris ſuis referri curaverint, ut inde futuris temporibus, ſi qualis, ſi qua dubitatio oriretur, omni legitima contra ejuſmodi ſacroſanctam auctoritatem unanimemque confeſſionem exceptione penitus ſubmota, de illorum fide & veritate maxime conſtaret. Qua de cauſa pro ſumma ſua prudentia univerſum de ipſius in regnum Scotiæ jure, deque homagiis ipſi tanquam ſupremo Domino præſtitis proceſſum in quorundam celebrium Monaſteriorum Chartulariis, non paucis ad firmandam hanc Angliæ, quam vendicavit, prærogativam, præſidiis ex iiſdem quoque petitis, deſcribi & recenſeri juſſit inclytiſſimus & fortiſſimus Rex, Edwardus I.

Quam vero in omni literarum genere quidam ex ipſis, (neque enim omnes ex iſtis gregibus tanquam bruta & inertia pecora damnandi ſunt) ſubſidiis, quibus nos abundamus, quæque nos faſtidiente animo ſinimus effluere, deſtituti, excelluerint, innumeri codices, quibus Cœnobiorum bibliothecæ olim tumuere, ultra omnem ſive dubitandi ſive cavillandi vim evincunt. Quod cuivis ex vitæ illorum inſtituto, ad quod ſolennibus votis erant obſtricti, adeo clare conſtare poſſit; ut ad fidem faciendam Joannis Boſtoni, Monachi Burienſis, & Joannis Lelandi, qui, perluſtrata Anglia, indices codicum, quos ubique in iſtis ſacris ædibus reperiebant, (ut cæteros quantivis pretii è Latio vel Græcia allatos, remotiſſimamque præ ſe ferentes antiquitatem taceam) contexuere, aut Balæi Pitſæive, qui illorum ſcrinia compilarunt, teſtimonia allegare neutiquam opus habeam. O! ſi ſacer cultus a ſuperſtitione ineptiſque ritibus, & doctrinæ Chriſtianæ profeſſio a novorum dogmatum corruptelis pariter vacaſſet, ac vita ab otio; ſi a religionis, quam amplexi ſunt, regulis deſciſcentes, ſeſe ſpurcitie & libidinibus non polluiſſent, ut Viſitatores criminati ſunt; ſi Regiæ poteſtatis jura, ſpretis divinis humaniſque legibus, non ita præfracte violaſſent, non adeo in ipſos tanta cum ſeveritate fuiſſet hic apud nos animadverſum. Maxime autem dolendum eſt, & labes æterna nomini Henriciano inurenda, niſi potius culpæ pars non minima in ipſius Adminiſtros, ſacrilegii & peculatus manifeſtos, transferatur, quod in iſta πανωλεθρίᾳ & horrenda Monaſteriorum ſubverſione, quæ, univerſo orbe obſtupeſcente, poſtea ſecuta eſt, de hac ſacra ſupellectile libraria, cujus jactura reſarciri non potuit, non melius fuerit proſpectum.

Hoc non ſine ſummo dolore & indignatione harum literarum amantes aſpexere. Quid enim magis deplorandum aut execrandum magis, quam ut tanti ſudoris, & induſtriæ, tantarumque vigiliarum monimenta fierent ſacrilegorum & indoctorum præda, igni aut ſpurcis uſibus deſtinanda? Quantilla enim horum pars hodie ſupereſt! quam paucæ reliquiæ ex iſthoc fatali incendio ereptæ! Et periiſſent quidem omnia, ni pauci, quibus theſaurus iſte maxime erat in honore, opportune interveniſſent. Interim hoc ſacrum mercimonium, prout direptoribus vili pretio vendentibus libitum fuit, ubique diſtrahebatur. Ut huic malo aliquantulum remedii opponeretur, ſupplicibus libellis adhibitis ad Thomam Cromwellum, Vicarium generalem, cui infelix iſtud negotium Monaſteria diſſolvendi a R. Henrico præcipue commiſſum erat, Lelandus, ad Reginam Mariam, [g] Joannes Dee propoſuere, ut collecti undique ejuſmodi libri, quotquot ſupereſſent, honeſtis conditionibus in Bibliothecam Regiam inferrentur. Quantis elogiis in æternum eſſent celebrandi, ſi

g *Vitell.* C. VII.

hiſce

hisce æquissimis postulationibus faciles aures adhibuissent.

Sed hæc gloria Cottono nostro reservabatur. Ille enim cum pro sagacissimæ mentis solertia perspectum habuerit, neque se accuratam historiæ Anglicæ cognitionem, cui maxime erat intentus, absque vetustorum Historicorum optimæ fidei, qui res suas & Majorum successionesque temporum libris in perpetuam memoriam, licet sermone incondito, mandarunt, frequenti & assiduo usu indipisci posse, neque sibi & posteris pulchrius ornamentum, neve patriæ firmius præsidium fore, quam ex tali thesauro literario: omnem curam adhibuit, in hoc nervos ingenii & industriæ contendit, nullis laboribus, sumptibus nullis parcens, forte in non leve rei domesticæ damnum, ut codicum MSS. copiam non tam in ipsius peculium quam ad communem literarum utilitatem coacervaret. Mature quidem inceperat, *h. e.* ab anno 1588. (isto enim anno librum magni æstimandum propria manu signatum vidi) nec per totam deinceps vitam ab ista laboriosa indagine cessavit.

Longa vero mora in ædibus paternis, vitæ, quam sequendam proposuit, rationibus ac instituto vix per omnia convenire videbatur. Licet enim in isto secessu, non neglectis vitæ humanioris officiis, aut ruris amœnitatibus cynica austeritate susque deque habitis, procul ab omni tumultu & strepitu, chartis impallescere, inque vetustis Scriptoribus, qui arcana suorum temporum consilia & facinora, cum nullus odio aut adulationi relinqueretur locus, fideli opera protulissent, etiam dum solus videretur, legendis occupari: in deliciis habuerit: tamen ex Virorum eruditorum familiari consuetudine & usu studia longe melius & felicius processura, & non mediocre incrementum & pondus inde oriri extemplo (non enim de re manifesta dubitandum erat, multo minus diu anxie deliberandum) agnovit. Ideo Londinum se contulit, cum Viris magnis studiorum causa amicitiam initurus. Urbs enim illa, si cum rure, conferatur, alter orbis merito habenda. Illuc enim confluentibus omnium ordinum, omnium facultatum ac professionum, ne dicam omnium gentium, hominibus, ea omnia quæ in usu civilis vitæ & necessaria & utilia habentur, & sapientiæ adipiscendæ conducunt, juvenibus, e sinu Academiarum eductis, modo industria, probitas, animusque ex liberali conversatione in melius proficiendi capax & cupidus adsint, audire, videre, & adsequi licet. Heic ergo in societatem *Antiquariorum*, quos idem genius afflarat, non tam aliorum commendatione quam propria virtute facile admissus, præ cæteris Gulielmum Camdenum, qui, tanquam novus sol exortus, omnium oculos in se converterat, Britanniamque exteris pene ignotam, vix antea bene notam sibi, radiis ingenii & eruditionis illustrarat, maxime coluit. Hinc ab illa similitudine studiorum & amore patrias antiquitates penitius indagandi exordium sumpsit sacra illa & arctissima amicitia, quam mutuis officiis uterque continenter fovebat, nulla invidia, quæ inter optimos ad maxima quæque æquo ambitiosius contendentes interdum solet oriri, litibus nullis fœdata, nullis temporum vicissitudinibus, dum vita maneret, interrupta, imo ne morte quidem ipsa terminanda.

Camdenus enim tanti amoris & benevolentiæ memoriam non solum ex ingenioso *Reliquiarum* libro, quem Cottono suo inscribit, neque ex magnificis illustribusque elogiis, quibus in operibus suis æternum victuris amicum ornat, sed etiam ex codicibus MSS. numismatibus, sigillis, aliisque sacris donariis, quæ optimus senex, anima jamjam ad cœlos avolatura, bibliothecæ Cottonianæ dedicaverat, in omne ævum exstare & superesse voluit. De hac *Societate*, quam dixi, *Antiquariorum*, cujus ingens decus & præsidium erat Cottonus noster, pauca hic inserere a re non erit alienum, nec uti spero, Lectoribus curiosis injucundum.

Huic Societati laudabilis quorundam ingenio præstantium Virorum industria & curiositas dederant initium, qui pro innata animorum propensione, qua quisque ad sui similium amorem & cultum fertur, sæpe, prout ratio negotiorum sinebat, convenire consuevissent, de patriis antiquitatibus investigandis in commune consulturi, sermonibus de hisce rebus, prout in familiaribus amicorum congressibus solet fieri, ultro citroque habitis. Pauci quidem primo aderant; sed mox alii sese adjunxere: & jam multa in laudem hujus novellæ institutionis sparserat consentiens fama, ut ab isto tempore novis his viribus aucta adolescere videretur. Quod circa annum M. D. XC. factum erat quando solenniores conventus statis diebus non quidem per integrum annum continuandi, sed durantibus Comitiis forensibus, haberi inceperint. Convenere autem ut plurimum in ædibus D. Gulielmi Dethick in Collegio Heraldorum: ubi olim erant ædes Thomæ Stanleii, primi Comitis Derbiæ, (inde ædes Derbienses vulgo nuncupatæ) ab ipso conditæ, quas Regina Maria postea anno primo & tertio R. Philippi & ipsius, Christi vero 1555. in Heraldos, ab illis & successoribus tenendos transcripsit. Propositis vero gravissimis de re antiquaria sive quæstionibus sive articulis, non confestim de iis quasi tumultuario erat disceptandum; sed tres quatuorve, interdum plures, nominantur, ut quicquid ex vetustis libris hauserint, quod iis illustrandis inserviat, proximo congressu scripto exhibeant coram legendum explorandumque, ut inde ex collatitiis operis veritas in profundo latens melius erueretur, resque a nostro seculo remotissimæ quasi præsentes sisterentur, illarumque origines clarius patefierent.

Hæc consilia inter sese privati homines agitabant, nulla publica auctoritate muniti. Deerat enim diploma Regium, deerant ædes publicæ hisce usibus designandæ, statuta, aliaque, quæ ad Corpus sive Collegium, *h. e.* legitimam Societatem, necessario requiruntur. Absque hisce subsidiis vix sibi, vix posteris bene prospectum fore, præsagire facile erat. Exstat quidem brevicula rudisque hujusce præclarissimi propositi, quod mente diu concepissent, Regiæ majestati humillime, supplicibus libellis repræsentandi,

ſentandi, delineatio, a Viris clariſſimis, Cottono noſtro, Joanne Dodderigio, poſtea ſucceſſive tum communium placitorum tum Regii Banci Juſtitiario celebratiſſimo, & Jacobo Leigh, ad dignitatem Comitis de Marleburgo à R. Carolo I. primo regni anno, cum paulo antea fuiſſet Angliæ Theſaurarius conſtitutus, promoto, adornata; prout ex nominibus illorum, aliena licet manu ad finem appoſitis, conjecturam facere licet. Hujus præcipua capita hæc erant: Bibliothecam, ſive in Xenodochio Sabaudiæ, ſive in domo Equitum Joannenſium Hieroſolymitanorum in ſuburbiis Londinenſibus, ſive alibi ſumptibus ſuis & amicorum, exſtruendam, in qua vetuſti codices MSS. originales chartæ, & inſtrumenta authentica, ſpoliorum ex monaſteriis ſub R. Henrico VIII. ablatorum reliquiæ, reponerentur; nec dubitandum eſſe, quin hac publica cura ea omnia in perpetuum ſervandi inde perſpecta, Viri nobiles, quicquid ejuſmodi apud ſe adhuc manſiſſet, ſponte eſſent reddituri; Collegium ſive Academiam ſtudioſorum antiquitatis & hiſtoriæ Anglicæ literis patentibus fundandam, utramque nomine Reginæ Eliſabethæ inſigniendam; Præſidem & Socios, quorum duo ſingulis annis eligendi in cuſtodes Bibliothecæ deputabuntur, facultatem ea omnia juxta ſtatutorum ab illa præſcribendorum formam, ordinandi, quæ ad Academiam melius regendam ſpectant, habituros; Academicis ædes commodas prope Bibliothecam, ubi præſtitutis diebus conveniant, aſſignandas; eoſque viſitationi ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, magni ſigilli Angliæ Cuſtode, Theſaurario, Admirallo, & Camerario, primario Secretario, & ſummo Juſtitiario a quinquennio ad quinquennium faciendæ ſubjiciendos; libros quoſcunque editos ad regimen & adminiſtrationem Reipublicæ, ſive ut populo, ſive ut exteris ſatisfiat, quoquo modo pertinentes, & præcipue, edicta Regum & Reginarum Angliæ (quæ *Proclamationes* appellantur) ob raritatem exemplarium paucis annis interjectis vix abſque magno labore reperienda, diligenter admodum colligi & fideliſſime ſervari oportere; juvenes nobiles in hoc literarum genere & modernarum, ut loquuntur, linguarum cognitione inſtituendos; denique hanc novam Societatem neutiquam in præjudicium & damnum Academiarum, Oxonienſis & Cantabrigienſis ceſſuram: cum heic, ſecluſis artium & ſcientiarum liberalium, Theologiæ, Juris civilis, Medicinæ & Philoſophiæ ſtudiis, quibus docendis illæ optime adaptantur, de Hiſtoria & Antiquitatibus Anglicanis, quarum in illis profeſſio nulla publica inſtituta fuit, tantummodo eſſet agendum. Quo tempore iſtos ſupplices libellos (neque enim annus, in ſcheda, quam in compendium redegi, ſignatur, nec quicquam de hac Societate ullibi, quod ſciam, habetur explorati) Reginæ in manus dederint, incertum. Sed facile inducor ut credam, hæc ſeculo ſuperiore exeunte contigiſſe; eo quod ſe frequenti uſu hiſce ſtudiis exercitatos, jam a longo tempore cœtus ſuos celebraſſe verbis conceptis aſſerant. Veruntamen magni Viri a magnis auſis excidere: & ſane veriſimile mihi videtur, illud, quod adeo ſolicite ſibi præcavendum duxerint, in cauſa maxime fuiſſe, ne impetrato iſthoc auctoramento, utriſque Academiis, quaſi quippiam momentoſum in Nobilium filiis educandis illic eſſet deſiderandum, aliqua labes & noxa inferrentur.

Regina Eliſabetha jam in cœlum recepta, de obtinenda ſereniſſimi R. Jacobi I. gratia ſtrenue laboratum erat: id negotii quam maxime urgente D. Cottono apud Magnates, quos in Aula habuit Amicos. Sed iiſdem ſuſpicionibus & præjudiciis adverſus hanc novam Academiam publica auctoritate inſtituendam manentibus integris, nec facile avellendis, vel quia Regis animus, licet ad literas fovendas propenſiſſimus, rebus longe majoris momenti expediendis ſub initiis regni occuparetur; hi quoque conatus in irritum cecidere. Attamen repulſam licet paſſi, a frequenti conſultatione, uti antea, non ceſſarunt: multis ad tantorum Virorum conſortium adſpirantibus. Inter, quos eminuit vir celeberrimus & ingens Eccleſiæ Anglicanæ lumen, Lancelotus Andreas, Decanus tunc temporis Eccleſiæ Weſtmonaſterienſis, & poſtea magno merito ſuo Epiſcopus Wintonienſis, qui, ſparſis rumuſculis, quod illum in Sociorum numerum adlegiſſent, literis ad D. Hartwellum menſe Novembri, A. M. DC. IV. ſcriptis ſerio profeſſus eſt, ſe, poſtquam id vel ab ipſo vel a D. Camdeno pro certo reſciverit, ad illos citra moram properaturum, quibus, honoris adſequendi ambitione percitus, petit aggregari. Poſt paucos vero annos, re optime perpenſa, ne initis ejuſmodi, licet innocentiſſimis, conſiliis, quippiam mali contra Rempublicam illos moliri Rex Conſiliariive ſuſpicarentur, finis Societati, ipſis ſociis ſponte cedentibus, tandem impoſitus eſt. Utinam integrum ſociorum catalogum poſſem contexere: ſed harum rerum obſoleſcente memoria, vix illud exſpectandum eſt.

Paucos tamen, de quibus mihi ex certiſſimis indiciis conſtat, cum illud illorum famæ & meritis maxime debetur, ordine alphabetico memorabo. Ii autem erant Arthurus Agard, Lancelotus Andreas, Henricus Bourchier, Ricardus Broughton, Gulielmus Camdenus, Ricardus Carew, Robertus Cottonus, Joannes Davis, Gulielmus Dethick, Joannes Dodderidge, ... Doyley, Gulielmus Fleetwood, Gulielmus Hakewill, Abrahamus Hartwell, Michael Heneage, Joſephus Holland, Thomas Lake; Franciſcus Leigh, Jacobus Leigh, ... Oldſworth, Willielmus Patten, Joannes Stow, Thomas Talbot, Franciſcus Tate, Franciſcus Thynne, & Jacobus Whitlock. De cæteris ſociis, præcipue poſt annum hujus ſeculi quintum admiſſis, nondum conſtat; licet de Gulielmo Liſle, Henrico Spelmanno, & Joanne Seldeno non dubitandum videtur; nec de aliis hariolari libet.

Lemmata vero argumentorum, quæ Viri illuſtres tractanda ſuſceperint, hic apponere longe conſultius videbitur, ut Lectori manifeſtum fiat, non de minutiis triciſque, nullam laudem, fructum nullum habituris, ſed de rebus graviſſimi momenti, quæ veteris ævi hiſtoriam illuſtrant, & quarum uſus erit perpetuus in vita civili apud omnes,

omnes, qui paulo supra vulgus sapiunt, in commune consultum fuisse. Ea erant hujusmodi: *viz.*

De antiquitate legum Angliæ.

De duello sive singulari certamine.

De antiquitate terminorum, in quibus jura in foro administrantur.

De antiquitate urbium.

De mensuris terrarum apud Anglos.

De antiquitate & varietate metiendi terram in comitatu Cornubiensi.

De varietate nominum, quibus hæc insula olim nuncupabatur.

De antiquitate comitatuum, quando nimirum Anglia istam partitionem primo subierit.

De antiquitate, munere, & privilegiis Heraldorum in Anglia.

De antiquitate & privilegiis domorum sive hospitiorum, tum Curiæ tum Cancellariæ.

De militibus, ab Abbatibus, tempore R. Henrici I. & antea, constitutis.

De antiquitate insignium gentilitiorum.

De antiquitate & ritibus funerum.

De antiquitate oppidorum, urbium, castellorum, & parochiarum.

De antiquitate feodorum militarium.

De antiquitate & prima origine Ducum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum, Baronum, Equitum, Servientium ad legem, Armigerorum, aliorumque, quos *Gentlemen* appellamus.

De epitaphiis.

De antiquitate, varietate, & ratione symbolorum, quæ sub insignibus solent apponi.

De tenuris, *h. e.* de variis prædia terrasque occupandi modis.

De sigillis.

De pecunia Sterlingica, unde nomen habuit.

De forestis.

De divisione & limitibus parochiarum.

De sepulchris, aliisque monimentis, memoriæ defunctorum apud posteros conservandæ designatis.

De antiquitate comitatuum Palatinorum, honorum, vel maneriorum.

De antiquitate religionis Christianæ in Britannia.

De antiquitate, dignitate, & officio sive munere Constabularii, Mareschalli, & Seneschalli Angliæ.

Supersunt commentarii his titulus prænotati, breves quidem (neque enim ut prolixe de his argumentis ageretur sivit ratio instituti) & varia eruditione referti; digni sane, qui in lucem publicam exeant; quorum editio facile procurabitur, ni bibliopolarum obstet avaritia. Sed de hac *Antiquariorum* societate satis: ad D. Cottonum redeo.

Cum ex historiis esset exploratissimum, Romanos diutius Borealibus Angliæ plagis quam alibi insedisse, ibique frequentiora castra, prætenturis utpote militum versus vallum Severi a mari ad mare propemodum exporrectis, ad coercendos Britannos Pictosque ferocientes & plane indomitos, ne provinciam pacatam, novisque Dominis jam assuetam, ferro, igni, immanibusque populationibus, si irrumpentibus facilis daretur aditus, vastarent, habuisse: Cottonus & Camdenus pari antiquitatum investigandarum amore incensi, illo A. C. M. D. XC. IX. æstate simul proficisci decreverunt, murum istum, uti appellatur, *Picticum*, per tot viarum anfractus & recessus extensum, aliasque Romanæ, dum Anglia potirentur, tum industriæ, tum magnificentiæ reliquias oculis pedibusque lustraturi. Nusquam sane potuit iter aut jucundius aut utilius institui: cujus fructum omnes harum literarum amantes adhuc sentiunt. Tali quidem comite merito gaudebat Camdenus, cui se multas inscriptiones in comitatibus Cumbriæ & Northumbriæ repertas, quas nempe vidit & descripsit Cottonus, debere gratus [a] profitetur. Hæc vero monimenta, si quis præter epigraphen ornatus circa adfuisset, graphice depinxisse non contentus, quotquot ex his licuit pretio redempta, postea non sine ingenti sumptu & labore ad ædes suas Coningtonianas transferri curavit; adjutus hac ex parte cura Amicorum, præsertim nobilissimi Viri, & [b] harum literarum summi cultoris, D. Gulielmi Howardi de Naworth, filii tertio geniti Thomæ, Ducis Norfolciæ, sub R. Elisabetha capite plexi, qui literis ad Cottonum scriptis vota calidissima intermiscuit, ut *marmora illa sub ipsius & familiæ præsidio tanto temporis intervallo intemerata servarentur, quantum ab eorundem prima erectione ad istum diem decucurrisset.* Iter enim istud Boreale, hoc quoque nomine felix & auspicatum dedit prima amicitiæ inter Viros nobilissimos initia, quæ ex morum & studiorum similitudine orta, longo usu & continua annorum serie adeo crevit, ut, quo conjunctior firmiorque, & in nepotibus, ipsis fato cedentibus, immortalis fieret, postea ex occasione connubii inter Margaritam filiam D. Howardi & Thomam, D. Roberti Cottoni filium unicum & hæredem ineundi oblata, de affinitate contrahenda utrisque parentibus facile conveniret.

Famam, quam juvenis ingenio & industria adeptus est, maturioribus annis solida eruditione & prudentia continenter auxit. Idem vitæ tenor modusque, non otio, non luxu, aut remissus aut intercisus; eadem codices vetustos tum comparandi tum legendi cupido & diligentia. In hoc enim maxime intentus videbatur, non ut eorundem collectione pompam ostentaret, aut assidua lectione fabulis jucundis in circulis otiosorum captandi applausus gratia depromendis ac inutilibus rerumque inanibus speculationibus animum lactaret; sed ut Anglici regiminis in suas partes & munera distributi formam integram ab ipsis primordiis per omnium seculorum successiones ac vicissitudines penitissime edoctus, documentis pro mentis, qua pollebat, sagacitate inde collectis, si forte in sanctiori Regiæ Majestatis consilio aut ordinum regni consessu de negotiis maximi me-

a *Britann. p.* 662. V. *etiam p.* 660. b *Edidit ex bibliotheca sua instructissima Vir nobilissimus Chronicon Florentii Monachi Wigorniensis* A. C. 1592.

menti ad rempublicam attinentibus ſententiam dicturus eſſet, Viri ſapientis ac boni Civis a ſapiente Principe, atque ſapientibus boniſque Concivibus elogium reportaret. Ejuſmodi vero ambitionem, honeſtam ſane, & cum utilitate & commodo Patriæ conjunctiſſimam, quis ſive ſapiens ſive bonus damnaret? quis non potius, licet inſipiens improbuſve, debitis laudum præconiis proſequeretur?

Quam vere autem, quam expedite, quali cura, fide, ac judicio iſthoc propoſitum impleverit, conſultationes de arduis regni, quibus interfuit, negotiis; amicitiæ, quas cum magnis Viris fecit; munera, quibus pro re nata ſubinde admotus erat; diſceptationes, & reſponſa, quæ pro vario rerum emergentium ſtatu, a Conſiliariis, Magnatibus, Juriſperitis, omniumque Ordinum Viris clariſſimis interpellatus, ſolertiſſime dedit; denique ſcriptorum partim editorum ſylloge, cuivis bonæ mentis, & harum rerum vel mediocriter intelligenti, ſatis dilucide teſtabuntur.

Cum Philippus Rex Hiſpaniæ ad pacem cum Anglia ineundam propendere videretur, Eliſabetha Regina, licet illum id non vere & ex animo feciſſe comperiſſet, importunis tamen R. Henrici IV. Regis Galliæ, precibus & poſtulationibus victa, tandem voluit, ut D. Henricus Nevillus, tunc temporis in Gallia Legatus, aliique Delegati, Bononiam ad oras Galliæ maritimas ſitam, quam tabulæ Peutingerianæ eandem eſſe cum Geſſoriaco ſignant, recta irent, cum Deputatis Hiſpanis de æquis novi foederis conditionibus deliberaturi. Illa vero gnara non modicas de *præcedentia* lites in ipſo limine exorituras eſſe, ut dignitatem ſuam melius tueretur, rationes & argumenta, quibus Angliæ jus erat ſtatuminandum, a quibuſdam Viris doctiſſimis ex ſocietate *Antiquariorum*, quorum fama ob exquiſitam rerum Anglicarum cognitionem dudum in Aula percrebuerat, colligi juſſit. E quorum numero Cottonus [c] paucis ſchedis totam controverſiam complexus, ex hiſce ſummis capitulis, quorum ſingula in ſuos diducuntur articulos, ſuperiores partes Angliæ merito deberi oſtendit; *viz.* Religionem Chriſtianam in Angliam primo introductam fuiſſe; Reginæ poteſtatem, tam civilem quam Eccleſiaſticam, in ditionibus ſuis, in quibus parem non habet agnoſcitve, multo minus ſuperiorem, magis abſolutam & perfectam; Reges Angliæ a longa Majorum iſthoc titulo gaudentium ſerie, utpote a temporibus Vortigerni, qui circa ſeculi quinti a Chriſto nato medium regimen Saxonicum hic ſtabiliverat, deductos; cum Caſtella, de cujus antiquitate maxime gloriantur Hiſpani, ſolis Comitibus uſque ad A. Ch. 1017. regeretur; Reges Angliæ unctos, miraculoſaque quadam ſtrumas ſanandi poteſtate cœlitus donatos, inter *ſuperilluſtres* Reges, Hiſpanis proximo loco poſtpoſitis, cenſeri; potiſſimum vero, & quod maximam in ſe vim habere videbitur, Angliæ Legatos in Conciliis Conſtantienſi, Piſano, Senenſi, cedentibus Hiſpanis, (qui poſtea in Concilio Baſileenſi, quod A. C. 1431. habitum erat, de loco & ordine primo contendebant, licet fruſtra) tam in conſeſſu quam in proceſſionibus, quod vetuſtæ ordinationi in libro ſacrarum cæremoniarum Eccleſiæ Romanæ comprehenſæ conſonum erat, potiorem locum obtinuiſſe; fœderis inter R. Henricum VII. & Philippum R. Caſtellæ initi articulos a Legatis Angliæ prius ſignatos; idemque in pactis nuptialibus inter Reginam Mariam & R. Philippum II. ſubſcribendis quoque factum fuiſſe. Hæc vero aliaque cognati argumenti, quæ antiquitatibus tum Anglicis tum Hiſpanicis illuſtrandis plurimum conducunt, ex Archivis & Tabulariis publicis, eque noſtris aliarumque gentium Hiſtoricis, ſumma cum ingenii tum induſtriæ laude ſolertiſſime excerpſit Cottonus.

Poſtquam placidiſſima morte vitam glorioſiſſimam, quam non tam annis, licet grandæva, quam victoriis & triumphis emenſa eſt, commutaſſet Regina Eliſabetha: Rex Jacobus, rebus in Scotia compoſitis, ad potiundum illud imperium, quod ſummo & optimo jure ipſius erat, a Proceribus invitatus, in Angliam properat, effuſiſſima populi lætitia, continuiſque acclamationibus ubique exceptus. Londino propinquus, ſe, prout convenerat, ad ædes Carthuſianas in ſuburbiis divertit, ibi pernoctaturus, ut ſequenti die ſolenniori pompa, infinita civium novum Regem viſendi & ſalutandi cupidine flagrantium multitudine circumfuſus, per Urbem ad palatium deduceretur. Interea, neſcio quibus rationibus politicis inductus, (non enim decet profuſam iſtam, quam ab ipſius primo in Angliam ingreſſu per totam deinceps vitam continuavit, titulorum & dignitatum largitionem, quæ ſub Regina Eliſabetha rariſſimæ erant, & non niſi optime merentibus collatæ, acri cenſura perſtringere) plus quam centum & viginti Equites auratos promiſcue conſtituit; inter quos numerandus Cottonus noſter, uti poſtea plus quam trecentos die nimirum, qui ejus coronationem præceſſit: Amicis Cottoni, *viz.* Thoma Bodleyo, & Henrico Savilio non niſi anno ſequenti, hoc menſe Septembre Windeſoræ, illo Weſtmonaſterii menſe Aprili, in Equeſtrem ordinem adſcitis: quorum famam & memoriam, (cæteros enim, licet gloria militari inſignes, aut juris Anglicani ſcientia, aut opibus, lautiſque fortunis, aut muneribus, quæ tum geſſerint, ſpectabiles, recenſere nihil mea refert) ob ſummam virtutem & eruditionem, & ob præclariſſima in patriam merita & beneficia grata poſteritas æternis elogiis celebrabit.

Mox ſubſecutis temporibus ea negotia, numero & materie varia perplexiſque difficultatibus obſita, ſubinde obvenere, quæ Cottoni jam, conſentiente omnium opinione, accurata rerum civilium cognitione inſtructiſſimi, induſtriam, ſolertiam, & opem efflagitarent. Hinc Magnatibus, quos Rex in ſecretius concilium adſcitos rebus adminiſtrandis propius admovit, notus, & quidni dicam familiaris redditus? ſæpe ab iiſdem, ſi quid dubium ex intimo an-

c *Julius* C. VIII.

tiquitatis

forensibus; (A. 1604.) & præcipue Dominus Franciscus Baconus, tunc temporis unus ex Advocatis regiis, sive, ut nos appellamus, Solicitator generalis, qui Cottonum nostrum, quem in ejusmodi rebus versatissimum, exquisitissimæ rerum Anglicarum cognitioni solidum usuque longo subactum judicium superaddidisse comperisset, de hac unione, crebris, iisque maxime seriis, colloquiis habitis, consuluit, novum lumen ad suos gressus in hisce intricatis caliginosisque semitis dirigendos mutuaturus. Veruntamen licet ingens illud molimen in nihilum abierit, non desperandum videbatur, quin tempus longe auspicatius tandem emersurum esset, quo exasperatæ quorundam mentes promissis & muneribus pacatæ, ad obsequendum inclinarentur. Parlamento enim, quod anno quinto R. Jacobi (A. 1607.) celebratum erat, eædem disceptationes denuo incaluere: & sane, ni difficillimum esset, commodum, quod omnium interest tueri, & quod experientia & sensus omni argumento potentius efficaciusque evincunt, pariter ac prima principia, quæ per se lumine naturali nota, sibi ipsis fidem faciunt, deserere & aversari, Baconus in inferiori camera, Northamptoniensis, hac quoque ex parte Cottono suo adjutus, in superiori, elegantia sermonis & subtilitate ingenii vicissent.

Facile tum omnibus persuasissimum erat, illud neutiquam rationibus politicis congruere, neque absque nova legum institutione, ut in republica condenda fieri solet, veteribus abrogatis, fieri potuisse ut iisdem consuetudinibus juribusque in litibus dijudicandis, civilibusque vitæ officiis Angli & Scoti promiscue subderentur: ideo sola de privilegiis supererat disceptatio, sed tamen frustra & absque effectu. Post solutum Ordinum consessum, quod æquius videbatur, petiere è gente Scotorum Delegati, ut commercium illud generale inter utramque gentem instituendum pari libertate & immunitate exerceretur: quod Consiliariis Anglis Rex reliquit discutiendum. Inter hos præcipui erant Robertus, Comes Sarisburiensis, & prædictus Henricus, Comes Northamptoniensis, ambo ob summam prudentiam ingenti apud Regem pollentes gratia, & in se invicem proba & laudabili æmulatione incitati. Hic vero, quo nemo aut majori cura, aut sedatiori affectu, aut solidiori judicio de publicis rebus disseruit, missis ad Cottonum literis petiit, ut quicquid in hoc negotio ipsi amicisque ejus, aut legum aut subtilitatum artis mercatoriæ quatenus ad publicum patriæ bonum referri possent, peritis, expedire videretur, in quibus articulis rerum momenta consisterent, ac commoda & incommoda utriusque partis, quasi diagrammate vellet describere.

Idem Vir nobilissimus sententiam ejus, ut supra dixi, de rebus aliis magni momenti, prout occasio tulit, pro more exquirebat, puta de Militibus Balnei, & illorum dignitate & præcedentia; de legibus antiquis, quæ adventum Normannorum in Angliam præcessere: de eventu, sive bono sive malo, ex pecunia adulterata, quantacunque aut quantulacunque fit, cujus justus valor, immisto ignobiliori metallo, imminuitur, oriri solito; de vectigalibus tributisque, quæ Regibus Angliæ subditi olim largiti sunt; de prima institutione Scutagii, quibus de causis primum concessum fuerit, & de conditionibus circumstantiisque ad id pertinentibus. Idem postea fecerunt alii summæ dignitatis Viri, puta Consiliarii, aliique Proceres, & Advocati Regii, siquæ vexatæ quæstiones, quarum solutio ab antiquorum temporum moribus & exemplis penderet, aut publice, aut solius curiositatis causa, excutiendæ proponerentur, non aliud aut certius aut verius oraculum consulturi: *viz.* de fœderibus varii generis cum vicinarum gentium Regibus olim initis; de commerciis cum exteris gentibus habitis & habendis; de rebus historicis, genealogicis, aliisque quoquo modo ad honorem & insignia gentilitia spectantibus; de auctoritate Seneschalli & Mareschalli in aula Regis; de vetustis militum lustrationibus; de mora navibus aliquamdiu injecta, ne extra portus navigent; de controversis prædiorum juribus stabiliendis; de jure Regio Pupillos sub tutela vindicandi, & similibus: quales quoque erant, (ut ex illorum literis ad illum liquet) An quispiam ex primaria Nobilitate ex vi legum Ecclesiasticarum publicam pœnam nomine pœnitentiæ inflictam actu subierit? an de bonis mobilibus, sive, ut loquuntur, personalibus Episcopi, qui moritur intestatus, Rex jure possit disponere? an spurii, qui decedit improles, ante codicillos testamenti conditos, bona, qualiacunque sint, sive mobilia, sive immobilia, Regio fisco addici debeant, necne? an Reges Angliæ titulos honoris in subditos nulla prædia iis in locis, a quibus isti tituli desumuntur, habentes contulerint, & quinam fuerint? de antiquis agendi modis, quando Magistratus Primoresque è civibus, quatenus corpus politicum constituunt, aut privati homines sese subduxerint, aut Regi, bello aliave necessitate implexo, ipso jubente, personaliter adesse, aut pecuniis opitulari, potissimum periclitante patria, recusaverint? & plures ejusmodi. Lites autem inter civicos Magistratus aliosque de *præcedentia* ortas, disceptationesque inter se rixantium Heraldorum illi dijudicandas permisere Commissarii, qui munus Comitis Marescalli Angliæ conjunctim administrarunt, & præcipue Thomas, Comes Arundeliæ, postquam istam dignitatem, familiæ suæ olim annexam, solus obtinuisset: nec quisquam, ob incorruptæ fidei & sapientiæ famam, publica auctoritate aut mutuo litigantium consensu inter arbitros negotiorum magni momenti frequentius cooptabatur.

Dolendum sane est, Cottonum apud se literarum responsoriarum, quas, uti videtur, properante calamo effusas parvi pendebat, apographa non retinuisse: sed advertere libet, si quod in ejusmodi quæstionibus propositis argumentum, quod magni usus foret, occurrisset, illum eas diligenti studio retractare solitum, horis subcesivis, justos de eisdem commentarios, quos postea recensebo, composuisse.

Omnibus tam mari quam terra pacatis, hostiumque metu, quo nautarum æmula virtus stimulabatur, sublato, classis Regia, in qua maximum Angliæ præsidium collocatur; (neque enim alii sunt præter animosos patriæ amantium spiritus insulæ muri aut aggeres) in portubus subducta, pene neglecta jacebat. Ut vero hisce malis sensim obrepentibus melius occurreretur, R. Jacobo VI. illius regni anno, *h. e.* A.C. M.DC.VIII. visum est nobilissimis Viris, Henrico, Comiti Northamptoniæ, Custodi privati sigilli & quinque portuum Gardiano, Carolo, Comiti Nottinghamiæ, Admirallo Angliæ, D. Edwardo Zouch Baroni, D. Edwardo Baroni Wottono, regii Hospitii contrarotulatori, D. Julio Cæsari, Scaccarii Cancellario, D. Thomæ Parræo Cancellario ducatus Lancastriæ, D. D. Edwardo Philips & Joanni Dodderigio, Servientibus ad legem, D. Henrico Hobarto Attornato Generali, D. Francisco Bacono Sollicitatori generali, D. Roberto Cottono Equiti aurato, aliisque facultatem, quam *Commissionem* vocant, magno Angliæ sigillo munitam, ea omnia explorandi, & quicquid ad navium conservationem, quicquid ad reformationem corruptelarum, quicquid ad armamentaria, stationes, belli provisiones, apparatumque nauticum & supellectilem ex Regis peculio quoquo modo spectans, ex usu videretur, statuendi concedere. Negotium sane erat maximi momenti,& quod sapientissimorum Virorum longam seriamque consultationem postularet. Cæteris aut rogantibus aut jubentibus brevem eorum, quæ ex juratis testibus addidicissent, epitomen Regi exhibendam confecit Cottonus; [e] librum vero continentem historiam totius consultationis, statutis sive ordinationibus tunc temporis de classe Regia conditis & institutis præmissam, composuit Comes Northamptoniensis, Cottono suo assistente, quod ille ingenue & gratanter fatetur.

Anno M. DC. IX. scripsit Cottonus dissertationem de duello, sive de singulari certamine, coram Rege aut Constabulario & Mareschallo Angliæ habito, & quibus de causis olim licuisset; mole quidem exiguam, at multiplici eruditione refertam. In qua optime ostendit, illud a feritate morum, disciplina legum insuper habita, primo inductum, olim concessum fuisse, cum nulla alia lites decidendi methodus relinqueretur; Gotthorum & Langobardorum Reges morem istum, cum penitus & ex integro, populis ferocientibus, inque vindictam pronis, ingenuarum artium studio vix emolliendis, neutiquam esset abolendus, præscriptis formis reguliſve, ne extra modum evagatus in carnificinam degeneraret, a singulis, post facultatem sese a crimine intentato purgandi, aut læsam amicorum famam cædemve gladio vindicandi impetratam, observandis cavisse; hæc cruenta certamina impietatis damnari, ludicrasque etiam velitationes, quas *Torneamenta* vocant, sanguine humano sæpenumero conspurcatas pollutasque, censuris Ecclesiasticis subesse; illud diu apud nos obtinuisse, cum apud vicinas gentes pene obsoluerit; denique Reges nostros, ne infestis in se concurrerent armis subditi, tum edictis tum pœnis in transgressores infligendis pro prudentia sua intercessisse; variis casibus & exemplis, non solum ex placitis forensibus, rotulisque Parlamentariis, sed ex jure civili & canonico, & ex historiis, legibusque Francorum & Hispanorum allatis; quas studio non indiligenti perscrutatus est; pro comperto habens, easdem consuetudines, postquam Cimbricarum Teutonicarumque gentium eluvies australiores Europæ plagas vi ineluctabili inundasset, armis ad victoriam viam quaquaversum facientibus, ubivis introductas, licet succedentibus seculis, admistis aliis, mutationes non paucas subiissent, sibi invicem ex mutua collatione lucem fœnerari.

Sed hæ pene privatorum erant speculationes & infrequens negotium, licet ad cujusvis Reipublicæ bene moratæ honorem, ne istiusmodi pugnæ plane detestabiles, quas ira, ambitio, ferox vindicta, pervicaxque famæ contra calumniatores tuendæ studium suggerunt, extra incertæ, & innocentibus interdum perniciosæ, quovis prætextu admitterentur, spectaverit: ad rem aliam longe diversi argumenti, majorisque momenti tum investigandam tum illustrandam, utpote quæ ad Regem ipsum arctius isthoc tempore attinebat, eodem anno, collectis ingenii, judicii, & memoriæ viribus, sese perquam sedulo accinxit Cottonus, amicitiæ & observantiæ Comiti Northamptoniæ id postulanti, & pietatis & fidei Regi, in angustias ex fisco vacuo aliquatenus redacto, debitum simul persoluturus.

Cum enim gazas regias pompis theatralibus, ludisque personatis, atque ludicris armatorum velitationibus, & potissimum cumulatissima Regis in Scotos, aureo jam redeunte seculo, liberalitate, exhaustas palam questus esset populus, veteribus Rempublicam gubernandi artibus jam relictis, in Elisabethæ, sacri patrimonii, nullis rapinis, peculatibus nullis, quantum summa vigilantia efficere potuit, obnoxii, parcissimæ dispensatricis, subsidiumque generale, non nisi urgente bello, idque quidem acerrime, cujus solius usibus, non sibi, suisque aut Aulicorum voluptatibus impendendum destinaretur, exposcere solitæ, laudes effusus; R. Jacobus his criminationibus impactis oratione solenni ad Ordines regni tum convocatos obviam ire sua quam maxime interesse pro prudentia sua facile perspexit, ne animi subditorum, malis hinc imbibitis suspicionibus, ab obsequio, amore, & obedientia debitis, quibus ad defunctam Reginam propendissent, abalienarentur. Ideo dedita opera, (ut cætera monita & documenta, quæ insignem sapientiam & eruditionem produnt, utpote non hujus loci, omittam; nemo enim aut elegantiori stylo perorare, aut acriori solertia philosophari norat, inter consummatissimos Reges, si ipse sibi suisque effatis obtemperasset, connumerandus) illis in memoriam

e *Julius* F. [illegible]

revocat

tiquitatis penu explorandum occurrisset, tanquam oraculum consulebatur. Præ cæteris honoratissimus D. Henricus Howardus, frater ante memorati Ducis Norfolciæ, a Rege, antequam Londinum advenisset, inter Consiliarios cooptatus, & sequenti anno Baro de Marnehill, & Comes Northamptoniæ creatus, & postea, nempe A. M. DC. VIII. Custos privati sigilli constitutus, Vir perquam excellenti ingenio, quod libri multifaria eruditione referti, quos edidit, testantur, pariterque prudentia artibusque politicis insignissimus, illum sinu excepit, arctaque amicitia, nec illa quidem pro levicula affectuum agitatione post mensem unum & alterum cessatura, sed constanti & perpetua, utpote quæ virtute & sapientia niteretur, complexus, suorum arcanorum fecit participem, & orationes, si quas in publicam lucem daturus esset, præsertim vero præclaram illam, quam habuit in foro Londinensi in actione contra Garnettum, aliosque proditionis pulverariæ architectos, (orationes, ut id obiter dicam, non subitaneo cogitationum æstu parum considerate absque aliqua connexione effusas, remque, de qua erat disserendum, minime attingentes, sed seria longaque meditatione & studio pro dignitate argumenti elaboratas) ejus censuræ, concessa eas pro arbitrio immutandi potestate, subjicere, & si quid coram Rege in sanctiori consilio publice disceptandum esset, cum ipso prolatis sententiis clam disceptare, lumenque & præsidium vel ex colloquio vel ex literis mutuari, non sibi indecorum esse duxit. Tantam in animo suo de sapientia Cottoni opinionem, tantam in ejus probitate & fide præceperat fiduciam. Cottono ægrotante, non levis dolor animum torquebat, metusque, ne quid humanitus accideret: cui postea, cum Deus jacturam istam seculo vix reparandam misericorditer avertisset, restitutam salutem summa lætitia & affectu perbenevolo gratulatur. Et sane familiares istæ, quas ad illum dare solitus est, epistolæ merum spirant amorem & quasi observantiam; nec majus excelsi & plane heroici animi indicium exhiberi possit, quam illas virtutes, quas quispiam in se habet, in aliis colere & admirari.

Non multo post Cottonus celsissimo Principi Henrico, filio primogenito R. Jacobi I. hac occasione oblata, innotuit. Nuperrime Regi consultissimum videbatur, ut Aula Principis jam juvenescere incipientis, ab ipsius, & loco & famulatu, pro honore Regiæ familiæ, quo assignatis palatio, Officiariis, Sacellanis, aliisque ad Aulam constituendam, necessariis famulis, augustiorem in modum viveret, distingueretur. Licet vero universa rei tam bene ordinatæ & constitutæ dispositio ab arbitrio Regis penderet, Principi tamen, sive ex motu proprio sive, quod longe verisimilius est, suggerentibus suis, quantum reddituum Principes Walliæ, sive ex indulto Regum, sive ex jure municipali, seu qualicunque modo, ad sumptus faciendos & numerosam familiam alendam vendicaverint, vel saltem pro more ex ærario, habita temporum ratione, perceperint, quæ jura & prærogativæ ipsis ex ista felicissima sorte nascendi accreverint; qui Officiarii, qui denique ritus, cæremoniæ, moresque, quibus regerentur, olim obtinuerint, cum id neque incongruum neque injucundum foret, inquirere placuit: ejusmodi quæsitis a nemine melius quam a Cottono satisfieri, id vero apud omnes erat indubitatum. Illum ideo jussu Principis D. Thomas Chalonerus, qui erat ipsi a studiis literarum, literis frequentibus consulit, tandemque monet, Principem velle, ut præsens cum ipso de hisce rebus verba habeat.

Sed longe utiliorem operam & Principi & Patriæ simul prudentissimis consiliis, quod heic alienis loco & tempore memorabo, navavit Cottonus, quibus illius animum ab artium bellicarum studio avertere aggressus est.

Quidam feroculi & fervidioris ingenii, militiæ plus æquo addicti, pacisque ex fœdere cum Hispanis non ita pridem redintegrato, (A. Ch. M. DC. IX.) quam sub pacifico Rege quietisque amantissimo firmissimam fore, nec facile turbandam, tristes præsagiissent, pertæsi, mollem Principis animum & flecti facilem militaris gloriæ præstigiis perstringere, speciosisque simulachris ludificari, summo opere contenderunt, ut ad illorum partes tuendas traheretur: scheda [d] illi in manum porrecta, quasi cæteris studiis, quæ privatorum sunt, insuper habitis, tanquam dedecori futuris, magnæ Britanniæ hæredem armis tractandis ab ipsa juventute adsuescere maxime decuisset; hoc videlicet, imperium, quod Saxones & Normanni armis adquisivissent, iisdem conservari oportere; ubique fortitudinis Anglicæ & bellorum feliciter gestorum monimenta exstare; pacem bello tum acquirendam, tum firmandam esse; temporibus mutatis, eandem virtutem, qua Proavi inclaruerint, longa experientia auctam, fretamque tum consiliis tum exemplis, quibus Duces provide & utiliter uti possint, nepotibus inesse; necessitatem quoque belligerandi incumbere, ne domi insurgeret hostis, qui melius extra quærendus erat; otio, voluptatibus, ac nimia pecunia lascivientes, longæque pacis incommoda luentes, ad seditiones & tumultus, imo ad civilia bella promptiores fore; exercitu in alienas terras immisso, ferocientium animos, ne quietam rempublicam prensationibus factionibusque suis lædant turbentque, alio abstrahendos; ibique omnium ordinum subditos scientia rei militaris tuendæ patriæ necessaria, tanquam in schola publica institui solere; artem unicam, nimirum debellandi populos, Principi convenire; immensas opes ex spoliis, a Gallia & Hispania reportatis, in Angliam olim advectas; provincias subjugatas stipendia militibus persolvisse; impensas ex vectigalibus novis ærario aliunde illatis, amplo fœnore redditas; famam gentis apud præsentes longe lateque propagari, & apud posteros immortalitate donandam; novorumque titulorum splendorem Regibus nostris inde accessisse; denique victoriis & triumphis, Anglis

d *Cleopatra* F. VI.

Scotiſque, poſt ſopitas, quæ illos per tot ſecula commiſiſſent, inimicitias, in unam gentem ſub unius Domini nutu & imperio coaleſcentibus, propitiis fatis concurrentibus, jam longe, quam unquam antea, patentiorem faciliorēmque viam muniri; utpote hoſtes vicinos, qui a tergo premerent inſtarentque, nunc in hac nova regnorum unione æterno fœdere ſociatos, non amplius interceſſuros, ſed ad ſubſidium communemque cauſam tutandam alacri animo concurſuros.

Hiſce plauſibilibus argumentis animus, nondum maturo judicio ſubactus, & adulatorum inſidiis fraudibuſque obnoxius Auguſti juvenis, gloriæ non parum avidi, (quod in Principe maxime laudabile eſt, modo intra limites juſti & æqui contineatur) facile quidem irretiri potuiſſet, niſi melior diſciplina, reſponſumque, quod Cottonus ejus juſſu adornabat, obſtitiſſent. Ibi enim falſis coloribus pigmentiſque obliteratis, imaginem iſtam, non Venerem, ſed Aten, vultu horridam tetramque, nullis amoribus, ne aſpectu quidem tanti Principis dignam, imo omni odio proſequendam oſtendit: docetque, innumera mala ab illa effræni late dominandi libidine profluxiſſe; Reges Angliæ ſapientiæ laudibus maxime celebratos, quibus ſalus populi cordi fuerat, præ bello, quod juſtis de cauſis geri potuiſſet, diſſimulata provocatione, conditiones pacis incommodas, modo aliquo modo tolerabiles, & intra debitas æquitatis fines ſteterint, elegiſſe, ac pacem interdum pecuniis numeratis redemiſſe, niſi ineluctabilis neceſſitas ad ultimis remediis utendum coegerit; eventus caſuſque bellorum ſemper incertos eſſe, & non raro, pro variis rerum neceſſitudinibus, vel ipſis victoribus exitiales, fœderatis contra illos Principibus vicinis vel ex invidia vel in ſui defenſionem, nec ex iſto labyrintho extricari ſeſe potuiſſe: alios, quos juvenilis ardor ad bella protruſerat, etiam poſt devictos triumphatoſque hoſtes, ætate matura & triſti experientia ſapientiores redditos, ſeraque pœnitentia inductos, ſuæ temeritatis malæque ambitionis puduiſſe; triumphos inaneſque titulos, innumerabilium hominum ſtrage partos, nihili æſtimandos, imo, in æternæ infamiæ indicia manſuros; pecunias exportatas, & ſi quæ domi relinquerentur, acciſas & adulteratas; exactiones varias multipliceſque, ſub nominibus *vectigalium*, *ſubſidiorum*, & *benevolentiæ* ad Regibus bello implicitis ſuccurrendum, alendoſque milites, domi impoſitas; imo rapinas, vix Clero, vix populo ferendas; commercium prædationibus interruptum; facibus ex regionibus tranſmarinis allatis, patriam poſtea incenſam; plebem præ vitæ commodorum defectu, ſoluto legum & religionis metu ad ſacrilegia, latrocinia, cædes, incendia, & quævis ſcelera effuſam; extra ſolum vi abductis conſumptiſque bello tot incolarum millibus, ſolitudinem inductam; denique è ſpoliis egeſtatem, eque victoriis auctam ſervitutem. His ſimilia, non equidem, neque opus erat, moralis Philoſophiæ dictaminibus, diviniorifve inſtitutionis effatis, ſed, quod evertendis adverſantium ſtrophis erat accommodatiſſimum, exemplis ex hiſtoriis noſtris, publiciſque actis, tum in Turri Londinenſi & in Scaccario, tum apud ſe reperiendis, magna varietate ſummaque cura, fide, & judicio collectis, ultra omnem dubitandi aleam firmata, in brevi tabella exhibet repræſentatque; ut omnem non ſolius patriæ, ſed ſuiipſius amorem, imo bonam mentem rerumque ſenſum penitus abjeciſſe jure cenſendus ſit, qui peſſimis & fraudulentis conſiliis ad ejuſmodi fatales errores admittendos tot tantiſque malis, de quibus non ſoli hodierni cives, ſed poſteri ingemiſcerent, gravidos, ex affectata gloria vanaque triumphandi cupidine, nulla neceſſitate compulſus, ſe indomita licentia abduci patiatur. Libellus ſane ob gravitatem & utilitatem argumenti, Principe patrono, & ob ſapientiam politicam ſolidamque eruditionem, ne dicam ob concinnitatem elegantiamque ſtyli, Cottono auctore perquam digniſſimus.

Poſtquam Rex Jacobus à Proceribus, univerſoque populo Anglicano R. Eliſabethæ verus legitimuſque ſucceſſor agnitus, illius ſolium ſumma quiete occupaſſet, ab ipſis initiis nihil ſibi magis curæ & cordi eſſe duxit, quam ut perpetuæ unionis inter Angliam & Scotiam ineundæ, omni diſcrimine ſublato, fundamenta jacerentur, titulo Regis magnæ Britanniæ, utpote auguſtiori, quem in diplomatibus omnibuſque actis publicis utendum edicto ſancivit, aſſumpto, pecuniiſque in averſa parte hoc ſymbolo ex Ezechielis cap. XXXVII. *faciam eos in gentem unam*, ſignatis. Id autem a quoquam vix negari potuit, ex ejuſmodi unione maximum in gentem Scoticam beneficium & commodum derivandum eſſe: & id quidem facile Regi condonandum erat, ſi pro inſito, quo erga ſuos ferebatur, amore id effectum dare ſummis viribus contenderet. Per unionem enim iſtam introducendum erat jus civitatis, ut Scoti jam iiſdem privilegiis gauderent, omnium munerum publicorum ac dignitatum eſſent capaces, prædiis pro variis ea occupandi, ſive ex emptione, donatione, aut legato, modis, uti, frui, eaque ad nepotes in hæreditatem tranſmittere poſſent; denique ad idem jus ſuffragii admitterentur, ac ſi intra Angliam nati fuiſſent. Unionem hanc forenſi vocabulo *naturaliſationem* appellamus. Sed tot tantæque difficultates obortæ ſunt, ut nulla induſtria, ingenio nullo, remediis nullis, ſuperari poſſe viderentur. Interim quippiam tentandum eſt, ut deſiderio Regis, in hoc maxime incumbentis, quoquo modo poſſit ſatisfieri. Non enim, niſi ordinibus regni conſentientibus, id impetrare aut adſequi licebat. Inferioris autem Cameræ Aſſeſſores, qui totius Angliæ communitatem, utpote illorum ſuffragiis electi, repræſentant, blanditiis & orationibus ad partes allicere, exceptionibus, quæ paſſim jactarentur, obviam ire, & utrique genti par commodum inde oriturum argumentis demonſtrare, hic labor, hoc opus: huc quoque ſumma conſultationum, quæ frequentes intercedebant, redibat: in quibus pro ratione muneris maxime occupati erant juriſperiti, qui Regi a conſiliis in negotiis forenſibus;

revocat exequias Reginæ Eliſabethæ, qnæ tamen tantum quadringentis viginti octo libris ſupra ſepremdecim millia conſtabant; iter in Angliam, magnificumque triumphorum in primo ad Urbem adventu, ejus & Reginæ inauguratione, & poſtea cum ab arce Londinenſi, palatium Weſtmonaſterienſe iturus, Urbem aut provincias populum præſentia ſua ſolandi ergo peragraret, apparatum; quantam vim pecuniarum exegerint tot ſplendidæ legationes, ad Europæ Principes miſſæ, quanta in Rege Daniæ, aliiſque Principibus, qni præſentes aderant, quanta in aliorum Legatis, qui hnc congratulandi canſa advenerant, excipiendis, impenderetur; æs alienum, quod appignoratis quibuſdam prædiis apud cives Londinenſes contraxerat Eliſabetha, expunctum; Anglos quoque munificentiam iſtam, tam indecoris exprobrationibus exagitatam, non minus quam Scotos percepiſſe; militum præſidiariorum, tam Berwici, aliiſque Angliæ propugnaculis, quam in Belgio merentium, ſtipendia ſoluta; Hiberniam vix ſibi ſufficere, nec abſque ſubſidiis hinc mittendis, gliſcente præſertim rebellione, tuendam, incolaſque ad tumultus & ſeditiones nimium proclives non niſi ſtativis copiarum militarium caſtris coercendos & in fide continendos; Regii hoſpitii ſplendorem conſervandum, numeroſamque familiam regali more alendam; filium primogenitum, Henricum jamjam in Principem Walliæ pompa cæremoniiſque conſuetis inaugurandum; & multa ejuſmodi: hæc denique omnia ſimul ærario egeſtatem, quam jam ſero triſtis ſentit, & qnam illorum ſuppetiis ſnblatum iri ſperat ſuadetque, induxiſſe. Regi ſuccurritur, ſed modice: neque enim centum ſex millia librarum Sterlingicarum ad difficultates anguſtiaſque rerum, quibus premeretur, amoliendas, aut ad animum illius, largis opum profuſionibus gaudentem deditumque, explendum ſatis erant.

Ideo mox, anniſque quoque ſequentibus, novæ rationes modique a Conſiliariis erant excogitandi, qnibus, ſalvis legibus, & citra gravamen ſubditorum, pecunia ſuppeditari poſſet. Vix aliud antem ſeculum inventorum politicorum (qnæ communiſſimo vocabulo Anglice nnncupamus *Projects* ſive *Projecta*) unquam erat feracius; ne quidem Regis Henrici VII. opibus qualicunque obtentn', qui præ ſe qualemqualem juris ſpeciem ferret, colligendis intenti, obſoletis quibuſdam legibus mulctæ pecuniariæ inde irrogandæ cauſa, temporibus exceptis. Cottonus inter plures, quibus hæc provincia ornanda committebatur, non melius ſe iſthoc munere defungi poſſe ſapienter judicavit, quam ſi, quod in aliis quæſitis antea facere conſueverat, ex rotulis Parlamentariis, ex libris in Scaccario repoſitis, ex ordinationibus Regum, ex originalibus Commiſſariorum iiſdem rebus deputatorum inſtructionibus ſive documentis, ex actis ſacri Conſiſtorii, denique ex hiſtoriis priſcorum ſeculorum praxin ſub certis capitibus juſto & facili ordine comprehenſam graphice adnotaverit, qnali modo, quave ratione Reges Angliæ, difficillimis præſertim temporibus aut quacunqne neceſſitate compnlſi, aut annnos redditus auxerint, aut rem lapſam diminutamqne reparaverint. Liber [f] ſane, tanta cum rerum & verborum accuratione & perſpicuitate compoſitus, tantopere placuit Comiti Northamptoniæ, (titulis in margine ſingulis ſectionibus propria manu additis) in cujus gratiam hanc navavit operam, ut quaſi delicti, peculatu ſceleſtioris, ſi theſaurum hunc ſuis in loculis abſcondiſſet, eſſet poſtulandus, qui Regis frequenti diligentique mann tractaretur, digniſſimum judicaverit, illumque Rex, ex Viri nobiliſſimi donatione jam compos redditus, ſatis digne pro merito illius æſtimaverit, eundem, nomine ipſius propria manu in fronte primæ paginæ appoſito, inter cimelia ſua tranſcripturus.

Ex omnibus inventis propoſitis, illud, uti videtur, de novo Equitum ordine inſtituendo, Regi maxime placuit, eo quod, ſi conjecturam a veriſimili non alienam proferre fas ſit, civiles in republica dignitates à Rege, uti rivuli a fonte, deriventur, graduſque honoris, diverſis titulis diſtincti, ab illius arbitrio, modo levitate & affectu, modo ſapientia & judicio ducatur, pendeant; nec olim inaſſuetum eſſet Regibus Angliæ interdum Magiſtratus & dignitates nundinari: nulluſque dubito, quin a Cottoni noſtri ingenio iſtud conſilium promanaverit. Licet enim ad finem libri prædicti poſt nomen Cottoni, uti ab initio aliena mann, adſcribatur annus hujus ſeculi duodecimus, quo denuo deſcriptus & recognitus videtur; illum tamen, ante inſtitutum ordinem, quo de jam agitur, *h. e.* circa annum M. DC. IX. aut M. DC. X. compoſitum fuiſſe conſtat, ex hac propoſitione, quam claris verbis profert, *Si Regiæ Majeſtati quoſdam ad novum dignitatis perpetuæ & ad ſeros nepotes tranſmittendæ gradum, titulo Baronettorum, qui Baronibus proximi ſint futuri, promovere, ſingulis mille libras pendentibus, ſpecie acquiſitionis*, ſive ut barbara municipalis noſtri juris phraſi ntar, *per modum finis*, (*i. e.* quando aliquis ad uſumfructum prædii, durante vita, ſive ad terminum annorum, admittendus, ſupremo Domino, ad quem illnd proprie & de jure ſpectat, pecuniam, de qua ntriſqne convenit, repræſentat) *centum mille libras Sterlingicas inde facile corrogandas*: addita hujus conſilii gravi hac, & quæ non parum apud Regem valere videbatur, ratione: Viros natalibus, patrimoniis, egregiiſque animi dotibus inſignes, ſolerti delectu jam in hunc ordinem adſcitos, qui de injuria ipſis illata, aliis longe inferioris cenſus in numerum Equitum Baluci nuper promiſcue admiſſis, ipſis vero poſthabitis neglectiſque, quererentur, hoc modo conciliandos. Novos hoſce Equites titulo [g] *Equitum Coronæ* inſigniendos aliqui contendebant: ſed mox itum eſt in ſententiam Cottoni, qui literas patentes anno decimo tertio Regis Edwardi III. ſignatas prodnxit, in quibus, præter opima prædia ad annuum quingentarum librarum valorem, titulus dignitaſqne Baronetti

f *Cleopatra* F. VI. g *Jul.* C. IX. n. 24.

Gulielmo

Gulielmo de la Poole, & hæredibus conceduntur, ob pecunias ab ipso procuratas, quo tempore Rex ipse una cum exercitu, deficiente pecunia, absque his subsidiis tum ingens periculum, tum dedecus subiisset.

Nec cum illo cessavit titulus iste, licet in historiis nostris perraro occurrat. Reperi autem in titulo concordiæ [h] inter R. Ricardum II. & Magnates aliosque Dunelmi (A. C. 1385.) habitæ, quem hic integrum dabo: *Estatutz, ordenances, & customes faites entre le Roy Richard* II. *& Jehan Duc de Lancaster, Seneschal de Engleterre, Thomas Count d'Essex & Buckingham, Conestable d'Engleterre, & Thomas de Mowbray, Count de Nottyngham, Mareschal d'Engleterre, & des autres Seigneurs, Contes, Barons, & Baronetts, & sages Chevaliers, a Duresme, 17. Juyl, l'ann du regne noesisme, numero* XXVI. Interim dum Rex animi dubius penderet, nec quicquam adhuc apud se certi statuisset, longiorem deliberandi moram, hac nova occasione interpellante, sublatum iri mox vidit. Nam Hibernis Ultoniensibus, prætextu avitam religionem, quam læsam impie criminati sunt, tuendi, ad arma prorumpentibus, nulla spes illos in ordinem cogendi, nisi conscripto exercitu, supererat: provinciam enim istam Viri nobiles Pontificii, irrequietæ mentis & fluxæ fidei, numerosisque clientelis potentes, & pecunia, commeatu, aliisque subsidiis clam ex Hispania mittendis freti, insederant, sola vi & armis pacandam. Opportune quidem ærarium pene vacuum pecuniis in pretium novæ dignitatis numerandis erat adimplendum, nisi provinciam istam omnino perditam Angli esse vellent. Multi igitur sub iisdem conditionibus, quas proposuit Cottonus, in hunc novum ordinem Equestrem adsciscuntur, aliis ordinariis Equitibus præferendi, & Baronibus, titulo, gradu, & dignitate proximi, addita gentilitiis Equitum creandorum insignibus *cruenta manu*, in indicium recuperatæ & pacatæ Ultoniæ, cui eadem quoque erant insignia. Comites vero Northamptoniæ & Sarisburiæ, licet pari Regis honorem patriæque commodum promovendi zelo incitati, uti in plerisque consultationibus, ita in hac quoque discordabant; nam ille veritus, si novus hic ordo tantis juribus & privilegiis donaretur, ne ea Magnatum filiis natu minoribus nobilissimæ prosapiæ fraudi forent, strenue admodum intercessit: hic vero maxima ex parte diligenti D. Roberti Cottoni & D. Thomæ Sherley prensatione & ambitu adjutus, quasi absque hoc illicio nova dignitas non tam avide à pluribus captaretur, causam istam, tum Regis, tum suam, cum fisci, cui præerat, res esset, acriter quoque tutatus est, & obtinuit. D. Camdeno tamen procemium, quod diplomati Regio præmitteretur, scripturo [i] injunctum erat, ne vocabulis, *honor*, *honorabilis*, aut similibus uteretur: tanta nimirum cautione adhibita, ne aliqua labes antiquæ nobilitatis splendori videretur inferri. Novus hic ordo Baronettorum incepit anno nono R. Jacobi I. A. D. M. DC. XI. Quorum primus erat D. Nicolaus Baconus de Redgrave in comitatu Suffolciensi, cæteris, Patris sui, sub R. Elisabetha magni sigilli Custodis, causa prælatus: & in ista primo adsciscendorum classe recensetur D. Robertus Cottonus, in cujus origine & constitutionibus firmandis egregiam navavit operam. Postea vero cum lites inter Baronum filios natu minores & Baronettos, utri essent dignitate superiores, intercesserint, post solennes frequentesque disceptationes coram Rege & Consiliariis habitas, quibus interesse nolebat Cottonus, licet importunis sui ordinis Militum literis rogatus, quasi honore non debito neque rite vendicando, quem ingenio suo & apud Aulicos gratia procurasset, sponte cessurus, tandem filii Baronum, Rege arbitro favente, vicere.

Ut omni tempore, publicis rebus præsertim postulantibus, liber Cottono ad Regem, qui Viros ingenio & eruditione precellentes familiari de re literaria sermone, pro admiranda sua morum facilitate, procul omni fastu, & majestate quasi deposita, mollissimis fandi temporibus excipere solitus est, patebat aditus; ita nova illum frequentius adeundi dabatur occasio. R. Jacobus, maturescente cum annis judicio, satis gnarus, quantum famæ, libertati, & vitæ Reginæ Mariæ, matris suæ, nocuerint virulenta Buchanani scripta, illa Comitiis Parlamentariis Edenburgi, A. C. M. D. LXXXIV. habitis damnari curavit; hac ex parte, tum sui & Scotiæ tranquillitati, cum vix sibi Regem esse liceret, nisi ad libitum fanaticæ plebis, si dogmata, quæ in Regum summorumque Magistratuum perniciem idem ventilasset, admitterentur, tum Matris, quam solio exturbarunt seditiosi Proceres & Ministelli, furiis acti, ambitionem, reditus Ecclesiasticos invadendi & occupandi cupiditatem, perjuria, tumultus, cædes, vel in ipsis palatii Reginæ penetralibus perpetratas, apertamque rebellionem nomine *religionis & pietatis* prætexentes, honori consulturus.

Neminem tunc temporis latebat, Buchananum Moravio, Patrono suo, ingenium & calamum stipendio annuo addicentem, illi regnum, cujus nullo jure capax erat, utpote illegitimo thoro natus, affectanti, dialogis istis, quasi omne jus apud Scotos regnandi, omnisque Reges aut constituendi aut abdicandi potestas ad populum pertinuerit, viam munivisse; remque eo melius successuram opinari quo fama R. Mariæ atrocioribus calumniis, fœdioribusque convitiis laceraretur. Libris istis auctoritate Ordinum regni damnatis, quis non crederet omnem fidem merito abjudicatam? Hoc fortasse norat universa Britannia, exteri non item, quos ingenium politusque Buchanani stylus, calumniæque, specie veri & artifici solertia contextæ, præoccupaverant, a malis suspicionibus & præjudiciis, asserta veritate, eque tabulis authenticis producta, liberandi. Quod vero, istis mendaciis tam facili fide admissis, in historiarum libris in omne ævum victuris, infamiam Parentis intexuisset scriptor gravissimus, Jacobus Augustinus Thuanus, hoc sane Rex ægerrime

h *Nero* D. VI. i *Ex chartis Camdeni ineditis.*

& indig-

& indignante animo ferebat, nihilque aut calidiori affectu voluit aut impensiori studio curavit, quam ut Historicorum sui temporis Princeps, de omnibus rebus ad Matrem pertinentibus, melius certiusque instructus, vulneri pene obducto, jam recrudescenti, quod bonæ illius existimationi, licet absque malo dolo aut animi malignitate, spiculis venenatis ex officina Buchanani eductis, inflixisset, medelam adhiberet. Affectus iste à natura insitus, quem injustissime criminantur factiosi *Zelotæ*, quasi Parentibus diversæ Religionis minime deberetur, cum veritatis amore conjunctus, acre istud famæ ipsius vindicandæ desiderium menti indidit.

Non enim satis habuit animadversiones in Thuani historiam, quod ad res Scoticas spectat, a me ex apographo, quod apud se reservaverat Isaacus Casaubonus, in appendice ad epistolarum Camdeni, aliorumque syllogen non ita pridem editas, eidem Viro clarissimo, quem sui apud R. Jacobum habuit intercessorem Thuanus, dictasse, nisi ampliores vindicias una cum rerum Anglicarum commentariis juxta seriem annorum methodo accurata & exquisitiori diligentia conscribendas curasset. Cottonus isti provinciæ ornandæ maxime idoneus deputatur. Ille vero Camdenum suum, quem rerum Anglicarum, regnante R. Elisabetha, Annalibus stylo historico contexendis a multis annis intentum fuisse, & literis ante quinquennium exaratis cum Thuano de controversiis istis Scoticis, quæ jam jussu Regio ad novum strictiusve examen erant revocandæ, egisse novisset, in partem operis adscivit, ut junctis studiis & Regis & Thuani exspectationi satisfieret. Propositum illud, ut crebris ad Thuanum literis scribit Casaubonus, continenter urget Rex serenissimus, fidemque interim interponens suam, veritatem rerum illic narrandarum nulla dissimulatione, fuco nullo, nullisque fabulis ac incertis rumusculis offuscatam, nativo lumine tandem apparituram; historiam destinatam promissamque firmissimis præsidiis fulciendam, & integram fore, nihil denique illic odio, nihil adulationi aut partium studio dandum esse; moræ, breviculis utpote commentationibus in magnam molem excrescentibus, necessario interpositæ impatiens, jubet, ut opus istud quam maturrime absolvatur, ut D. Thomas Lake ipsi a secretis, ad Comitem Northamptoniæ scribit, ni D. Cottoni ægritudo, quam Rex obnixe deprecatur, impediat. Post vero opus absolutum [a] ea omnia sibi lecta, explorata, adprobata, & [b] fide dignissima, præsente Casaubono, asserit. Commentarios istos Anglice contexuisse Cottonum, Camdenum vero Latine interpretatum esse, refert Casaubonus: sed [c] præcipuam operis laudem Camdeno, consultore & adjutore Cottono, adscribi oportere, cum ex Commentariis istis, si non ipsi essent [d] Annales, Annales Elisabethiani saltem conficerentur, certissimum est. Quod hic monendum duxi, ne Cottonus tot suis luminibus, laudibusque sibi propriis, maxime conspicuus, aliena fama, alienisve laboribus inclarescere videretur.

Qualecunque sit de istorum commentariorum conditoribus judicium, ad scripta Cottoni recensendum, prout præcipua hujus propositæ narrationis ratio postulat, pergo. Ea autem a D. Jacobo Howello, viro ob ingenii laudes apud nostrates non incelebri, primo simul collecta Londini A. M. DC. LII. edebantur: inter quæ tamen duo occurrunt tractatuli, de quibus justa oriri possit dubitatio, an Cottonum auctorem habuerint necne. Nam quod ad opusculum spectat, in quo de methodo quæ supprimendis cohibendisque Romanensium subditorum contra fidem & allegiantiam Regi debitam molitionibus expeditior meliorque videretur, alterutrinque differitur: auctor iste se Italiam petiisse & Romæ aliquam moram fecisse bis verbis rotundis asserit, cum Cottonum nostrum pedem unquam extra Angliam extulisse ne fando quidem audiverim; & nobilissimus Vir, D. Joannes Cottonus hac de re a me literis consultus, se de isthoc avi sui itinere Italico ne verbum quidem a Patre suo edoctum fuisse respondit. Verum quod fortasse non nihil ad sententiam hanc firmandam ponderis habebit; Cottonum usum & cognitionem linguæ Italicæ a Joanne Florio Italo, illius linguæ Londini per multos annos, ut loquuntur, Professore, anno M. DC. addidicisse ex ejusdem literis ad Cottonum scriptis, mihi certo constat. Utcunque, liber iste erat anno M. DC. XLI. sub Cottoni nomine seorsim editus; & hac ex parte communi famæ morem gerens, tanquam ipsius esset, licet addubitans, memorabo. De altero, quod innuebam, opusculo suo loco postea dicetur. In ejusmodi libris enumerandis describendisque, Virorum, ingenio, sapientia, & eruditione illustrium, qui nullis magistratibus officiisve publicis addicti, nobile privatæ vitæ, satis ex amplis patrimoniis à majoribus relictis beatæ, nec alienarum accessionum indigæ, aque importunis ambitionis & invidiæ agitationibus liberæ, otium bonis literis ad patriæ & posteritatis emolumentum consecrant, historia maxime constituenda est. Nec quicquam aliud à Biographo jure exigendum est, nisi ut res suo argumento congruas, cum dispar vitæ ratio longe diversum tractandi modum postulet, debitoque, præsertim si copia suppetat, ordine dispositas fideliter tradat: pariter ac quispiam magni Ducis, militaris disciplinæ gloria insignissimi, vitam descripturus, isthoc munere probe perfunctus videbitur, si quot præliis, fugatis hostibus, interfuerit, si quot urbes obsessæ ipsi cesserint, si stratagemata in eludendis aut expugnandis hostibus, si peritiam in castris metandis, aut in ordinanda acie, aut in reducendo ab angustiis aut imminentibus periculis, quibus aliter succubuisset, exercitu, consiliorumque rationes accurate, quantum ea omnia liceat adsequi, recenseat.

A. 1616. Mitissimo Regis Jacobi ingenio, qui omnes subditos, etiam ipsos in religionis articulis

a *Vid. Epist. Casaub. ad Thuan. 627, & 652. ex editione Grævii.* b *Epist. 625. & 685.* c *Vid. Epist. Thuani ad Camd. p. 140.*
d *V. Epist. Casaub. 615.*

§ c dissen-

dissentientes, dum, servata fide & indemni republica, modestius se gesserint, pari gratia ac benevolentia complexus est, Jesuitæ cæterique Romanæ communionis Sacerdotes & Emissarii abutentes, qui nuper, rerum potita Elisabetha, metu legum coerciti, apud suos, alienas personas induti, antea delituerant, elatiores facti, subdolis colloquiis, concionibus, sparsisque apud imperitum incautumque vulgus libris dogmata sua propagare, & missis operari jam quasi publice & ostentabunde cœperant. Hoc omnium Ecclesiæ Anglicanæ paci salutique pro pietate sua bene consulentium animos acriter urebat; qui, licet ex legibus, quas illorum pervicacia & frequentes insidiæ adversus optimæ Reginæ vitam structæ rerumque novandarum studium extorserant, latis, in illos capitalibus sententiis animadverti, nisi ineluctabilis jusserit necessitas, noluerint: insolentem tamen & effrænem audaciam, ne quippiam detrimenti inde caperet Ecclesia, reprimendam sapienter censuere. Quicquid sui muneris erat, id quidem strenue egerunt Theologi; nec subsidiaria Politicorum opera in sui defensionem tutelamve vel minimum indiguissent, si res ista è disputationibus, apologiis, responsionibusque editis, veritate ad mentem sanctorum Patrum & primævæ Antiquitatis normam discussa elimataque, ex integro pependisset. Sed acrioribus remediis contra pertinaces Zelotas erat utendum: aliisque rationibus, quas civilis prudentia suggerit, laboranti patriæ, ne ab ista lue, quæ passim serpebat, inficeretur, subvenire oportuit. Nodus iste vindice Cottono dignus videbatur; qui, hac re, in qua salus regni vertebatur, ad serium examen revocata, facile perspectum habuit, malum istud longa mora invaluisse; non istis moribus, tandem in perniciem patriæ, ni tempori obviam eatur, cessuris, amplius indulgendum; cum ejusmodi pervicacibus hominibus, non lenitate aut misericordia, sed pœnis irrogatis agi oportere; leges sopitas, & longa desuetudine quasi obsolescentes, aliqualiter saltem in usum revocandas; neque aliter Rempublicam salvam fore, nisi hostes domestici in abalienandis sub prætextu religionis subditorum a fide Regi debita animis, nequiter occupati, justa severitate coercerentur. Problema autem illud, quod tum temporis eorum, qui publicis rebus administrandis admoti erant, ingenia & mentes exercuerat, *viz.* utrum Jesuitas cæterosque Missionarios, hoc modo animatos, ultimo supplicio affici esse, an perpetuo carceri mancipari oporteret, saltem usque dum sequeretur reformatio, & de meliore mente, inducta pœnitentia, constaret, tanta cum eruditione, cura, ac judicio, utriusque partis rationibus rite probeque perpensis, rerumque momentis alterutrinque æquissima lance libratis, tractat, ut Viri consultissimi & vere sapientis elogium inde mereatur.

Circa annum hujus seculi decimum quartum, Cottonus, publici commodi studiosissimus, scripsit historiam R. Henrici iii. in breve compendium ex industria redactam, ut a R. Jacobo, cui illam exhibuerat, facilius, & quidem sine tædio, legeretur. In hac autem, tanquam in speculo, illorum temporum faciem vere & accurate, detersis falsis coloribus, repræsentatam intueri licet. Gnarus enim ille, res male administrari nolle, simultatesque alta mente repositas, ni penitus tollantur, in discordias funestas, quavis data occasione, tandem aliquando erupturas, deque futuro consiliorum eventu ex præteritis judicium plane certum mente præsaga facere oportere, ostendit: quantas in angustias Barones factiosi, malis versutisque artibus freti, querelis quoque & ambiguis de illo Rege sermonibus, quibus vulgus solet irritari, ubique sparsis, deinde armis specie vindicandæ libertatis sumptis, illum adduxerint; illum autem nimio affectibus indulgentem mala ista sibi ex parte acersivisse; tandemque difficultatibus pene ineluctabilibus superatis, victorem redditum, sapuisse, erroribus, quos ab indole & temperamento, aut præceps maleque informatus contraxerat, procul amandatis, novaque & optima reipublicæ administrandæ juxta legum & prudentiæ, ubi illæ defecissent, normam, ratione inita, restituta publica tranquillitate, quod reliquum erat vitæ, omnibus honoribus auctum summa cum populi, qui sapientissimi regiminis fructum lætus perceperat, admiratione & applausu transegisse; relicto exemplo, quo R. Edwardo I. filio primogenito & successori, quem omnibus disciplinis & virtutibus Principe dignis instituendum curaverat, ad summum humanæ gloriæ & felicitatis apicem prævivit. Libellus documentis politicis è sacratissimis sapientiæ adytis profunda mentis speculatione erutis adeo refertus est, & quasi tot gemmulis ornatus, ut hoc ipso nomine cum Tacito, Sallustio, cæterisque Historicis, quos aut vetustas aut sequiora secula summis laudibus prædicaverint, Cottonum conferendum esse, æquus Lector, omni livore seposito, non rogatus dixerit.

Inter publica maximi momenti negotia hoc præcipue R. Jacobum sollicitum habuit, ut regnorum magnæ Britanniæ, in ipso primo unitorum, successio in familia Scoticana æternum firmaretur. Solus è prole mascula supererat serenissimus Carolus Princeps Walliæ, jam pubertatis annos egressus, cujus matrimonium, tum ex rationibus politicis, tum ex affectu paterno, voluit maturari. Et sane nulla erat ex illustrissimis Europæ Heroinis, quin, si augusti juvenis oris venustatem, decoramque speciem, ingenium, mores pari suavitate ac majestate conditos, cæterasque excellentissimas excelsæ mentis dotes perpendisset, ejus thalamos, salvis dignitate & modestia virginali, ambire posset. Ubi vero Nurus eligenda esset, nondum apud se constituerat Pater: de Dania, ex qua Reginam duxerat, aut Germania, vix cogitare visus est. Alio igitur animum oculosque inteodit, cum aliquo potentiore Rege arctius amicitiæ fœdus ex affinitate mox contrahenda ioiturus. Incertum, an propria mentis inclinatione, an blandis Comitis de Gondomaria, tunc temporis Legati Hispanici, qui facetiis suis ingenioque mire ad placendum composito fere omnia apud ipsum poterat, suasionibus pellectus, Mariam, filiam

filiam Philippi III. Regis Hispaniæ, magnifica legatione missa, Filio in uxorem dari petit. Sed negotium istud, magnis iisque perplexis, difficultatibus subinde emergentibus, novisque scrupulis Hispanorum versutia injectis, longas post se moras trahebat.

Historiam istius tractatus vel compendio referre hujus instituti non est: illud tantum memorabo, gentem fere universam Anglicanam, præsertim ex infima plebe, nuptias istas improbasse, & Hispanos per tot quæsitas ambages animo malo egisse, quasi religionem inde non leve damnum passuram opinatos. Populum contra Hispanos tam male animatum nemo mirabitur; odium enim ex bellis per tot annos alterutrinque gestis, & potissimum ex ingenti isthoc eorundem Angliam classe, uti vocarunt, *invincibili*, invadendi, & sub jugum mittendi molimine mentibus Anglorum alte infixum, non tam cito eradicari potuit. Atqui consilia Regum non ab incertis imperiti vulgi censuris & affectibus pendent aut derivantur. Sed cum res ista non solius Principis, sed totius gentis esset, Ordinibus regni in Parlamento convocatis, quorum maxime intererat sub Rege utilitabus publicis prospicere, an fœderibus inter Regem, Imperatorem Germaniæ, & Regem Hispanum de restituendo Comitis Palatini, ipsius Generi, tunc novercante fortuna & prosperis hostium armis, abrepto patrimonio, & nuptiis quoque inter Principem & Infantam ineundis renunciare, expediret necne, disceptanda proponebatur. De istis foederibus & matrimonio omnes fere male ominantur, & quantum ipsos decuit, maturis consultationibus habitis, intercedunt. Ne vero quicquam ejusmodi absque summa ratione statuere viderentur, Cottonus, inferioris Cameræ Assessor, uti credere oportet, jubetur (neque enim injussu rem istius momenti & periculosæ aleæ plenam aggredi ausus fuisset) consilium illud, omnium Ordinum nomine & auctoramento exhibendum, verbis congruis adornare, inserta foederum, quæ olim & nuper inter Anglos & Austriacos intercesserint, brevi historia. Foederum vero istorum hunc præcipuum scopum & finem ex parte Austriacorum fuisse, ut sub istis speciosis coloribus effrænem longe lateque per universam Europam dominandi ambitionem obtegerent, summumque istud affectatæ Monarchiæ fastigium certius per incautorum hisque artibus sopitorum Principum negligentiam adsequerentur, exemplis a temporibus Maximiliani Imperatoris & Ferdinandi Regis Hispaniæ, *h. e.* ab anno 1530. & sequentibus indubitata fide ostendit.

Hæc nimirum est illa *Principum sapientia*, a Politicis tantis laudibus celebrata; quam si quis ad præceptorum & institutionum, quibus vita moresque privatorum reguntur, normam exegerit, isthoc sacro & venerabili titulo parum digna videbitur. Artes autem hasce, quibus Principes sibi invicem insidiantur, Cardinali Sedunensi, Viro antiquæ probitatis, adeo displicuisse constat, ut, literis ad Regem Henricum VIII. scriptis, querelis etiam de fide læsa Imperatoris Maximiliani, qui illum de imperatoria dignitate in ipsius gratiam sponte abdicanda, promissis solennem in morem sancitis, ludificatus est, interpositis, *contra perfidiam Principum* verbis atrocibus, quæ ab animo exulcerato proficisci solent, animose & vix satis pro decoro declamitaverit.

Hanc aut similem occasionem captans Cottonus (A. C. 1621.) in gratiam Viri nobilissimi, Edwardi Montacutii, Baronis de Boughton, compendiariam ex rotulis Parlamentariis & coætaneis Historicis conscribit historiam publicarum consultationum, quas de nuptiis contrahendis, fœderibus, & treugis ineundis, de bello indicendo, cæterisque magnis arduisque regni, si quando occurrissent, negotiis, adhiberi Regibus Angliæ placuit. Licet enim ea omnia ex arbitrio principum penderent, & ex juris Regii prærogativa, quandocunque libuerit, illis insciis inconsultisque, possent peragi, (aliter enim vix Monarchæ essent censendi) tamen cum Episcopis & Magnatibus, pro ratione istorum temporum despoticum in Vassallos sive Clientes imperium exercentibus, communicari, pro prudentia sua voluere, ut ab iisdem in rebus, de quibus in commune consultum fuisset, promovendis alacrior promptiorque impenderetur opera, licet ea quoque ex debito feodorum militarium prædiis a Gulielmo Conquæstore annexorum a singulis esset impendenda.

Horum tamen ferociam vel ipsis Regibus, ne in detrimentum jurium coronæ, quæ à solo Deo tenetur, nimis excresceret, formidandam reprimere & moderari cum Rex Joannes, periculorum ex æmula potestate impendentium satis gnarus, impense studuisset, ferali isto bello, quod *Baronicum* appellamus, inde erumpente, adversantibus fatis oppressus, turpissimis iniquissimisque conditionibus cedere cogebatur: aliter & regno & vita exuendus. Ante vero sextum hujus regni annum *Deputatos* communibus civium & provincialium suffragiis electos magnis Angliæ conciliis non interfuisse satis liquet: quicquid conjecturis incertis, clausulis, quæ ordinationibus tunc sancitis inseruntur, extortisque per vim consequentiis, quibus ad fidem rei dubiæ faciendam uti vix licet, freti, pervicacissimi quidam litigatores contendunt. An vero tunc temporis interfuissent, merito dubitandum videtur: nulla utpote horum in *Brevi Summonitionis* mentione facta. Neque enim antea nomen *Parlamenti* innotuerat, nisi in capitularibus Abbatum conventionibus, prout hodie illud in juris Anglicani peritorum Collegiis de suis peculiaribus Comitiis retinetur. Dolendum autem est, acta publica, istorum temporum historiam complectentia, omnino periisse; quorum ope, si superessent, vexatissima illa quæstio, an formula ista Episcopos, Comites, Barones, Milites, & Burgenses citandi ad comparendum in Parlamento eodem modo, qui hodie obtinet, quadragesimo nono Regis Henrici III. anno antiquior sit, necne, non sine summa adversarum partium acritate nuperrime agitata, facile decidi potuisset. Ab isthoc tempore Communitatis Angliæ in Comitiis publicis congregatæ consilium de cunctis rebus, tum ad se,

tum ad regnum quoquo modo spectantibus, Reges popoſciſſe teſtatiſſimum eſt, nec laborioſa probatione indiget. Quanquam interdum ſeſe quaſi earundem diſceptationi omnino impares & inidoneos pro humili modeſtia excuſaverint, neque ſententiam ſuam, niſi poſt adjuratam fidem, (quando ſilentium foret pro piaculo) dicere & interponere voluerint.

Huic diſſertatiunculæ ob argumenti cognationem reſponſum, ipſis Gratiis & Themide conditum, quod graviſſimæ quæſtioni, cui occaſionem dedit cauſa cujuſdam Baronis Angli, crimine capitali coram Paribus poſtulandi, a R. Jacobo propoſitæ, an conſultationibus in publicis regni Comitiis habitis, perſonaliter intereſſe Regibus Angliæ antiqui moris fuerit, ipſius juſſu adaptaverat Cottonus, adjungere libet. A quibus licet auguſtiſſimæ Reginæ, Maria & Eliſabetha, penitus abſtinuiſſent, in ipſis initiis, quando brevi oratione de cauſis indicti Parlamenti coram ordinibus eſſent peroraturæ, & quo tempore, finita ſeſſione, Senatus conſulta, illarum nomine & conſenſu (ſumma enim legiſlationis poteſtas penes regiam Majeſtatem eſt) munienda, in ſtatuta & edicta eſſent tranſitura, tantum præſentes: totum illud ſoli ſexus muliebris modeſtiæ, quæ ſe in iſto publico conſeſſu citra neceſſitatem conſpiciendas dare vix permiſerit, videtur adſcribendum. Reges vero frequentiſſime adfuiſſe, adductis exemplis, demunſtrat, hac præcipue de cauſa, ut maximi momenti rebus in diſceptationem venientibus, potiſſimum ubi de criminibus cuipiam ex Proceribus intentatis agebatur, quid ſibi facto opus eſſet, judicium certius formarent; neque alienis relationibus, utut fidis juxtaque veritatem expreſſis, quæ tamen animum ſegnius irritant, quam quod propriis auribus quiſque percipit, omnino fidere viderentur. An illos ſibi hac ex parte imitandos pro prudentia ſua judicaverit R. Jacobus, id poſt ſeptuaginta annos ex oculatis teſtibus eruere non licet. Interim, ſi, quod iniquiſſimi cenſores, auguſtam ipſius famam mendacibus convitiis inſectantes, criminantur, per pluſculos dies in tempore generalium Comitiorum rure apud Roiſtonam alibique locorum venationibus ſeſe interdum oblectaverit, id valetudinis conſervandæ ſtudio, id genio quietis amantiſſimo, id denique bonæ indoli, nullis malis ſuſpicionibus exagitatæ, ac ſi, ipſo abſente, conſilia contra ipſum Regiamque familiam iniiſſent, ipſis nuperis Scriptorculis licet frendentibus dicam, erat concedendum.

Indicto poſt Principem Carolum ex Hiſpania reducem, (A. 1625.) Ordinibus regni acriter urgentibus, bello, Marchio de Inujoſa & Carolus Columna, tunc temporis in Anglia, nomine Regis Hiſpaniæ legatione fungentes, implacabili odio contra Ducem Buckinghamiæ, quem præcipuum iſtius conſilii ſuaſorem crediderunt, concepto, ut illum, ſi non vita & honoribus, ſaltem gratia, qua apud Regem pullebat, exuerent, junctis conſiliis conſpirarunt. His autem nulla plauſibilior aut expeditior infame illud propoſitum in effectum dandi ratio ineunda viſa eſt, quam per injectas Regis, annis jam ingraveſcentibus, animo hiſce telis non prorſus impervio, ne dicam facile violabili, de Buckinghamii contra illum ſtructis inſidiis ſuſpiciones. Ideo impetrata pro more Regem adeundi facultate, cum profunda amoris & reverentiæ Regiæ Majeſtatis ſimulatione, diſertis verbis, clam remotis Aulicis, retulere, ſe nuper edoctos, Buckinghamio cum aliis Proceribus, Principe jam capeſſendis moderandiſque imperii habenis maturo, de illo, ſi illorum conſiliis de rebus Hiſpanicis ſeſe oppoſuiſſet, ad amœniſſimas extra Urbem ædes amovendo, ubi nullis publicis curis exercitus, otio ruriſque deliciis indulgeret, nuperrime conveniſſe. Semel iterumque à Rege rogati, ut conſcios quoſque hujus nefandi facinoris, a quibus id addidiciſſent, nominarent, hac ex parte æquiſſimis Regis poſtulationibus gratificari, aut ſui famam, qui de hac excogitata calumnia ſuſpecti erant, vindicare, frivolis excuſationibus adductis, præfracte recuſarunt. Exploratiſſimum erat, Legatos mala fide egiſſe, & violati juris gentium poſtulandos: quomodo vero cum iis agere oporteret, illud non adeo facile ex æquo expediendum videbatur.

Rogatus a Buckinghamio Cottonus de hac re graviſſima & ſententiam & conſilium, illam multis ex penu hiſtorico productis exemplis oſtendit: legatos quidem, eo quod Principum vices obeant, admiſſorum licet criminum reos, ab omni pœna immunes eſſe, cum malum cuipiam privato illatum publicis commodis ex iſthoc commercio inter Principes per Legatos provenire ſolitis poſthabendum ſit; illos tamen in ædibus ſuis concludi jure poſſe, uſquedum de illata injuria ſatisfiat. Hoc vero ex profundæ mentis penetralibus profert: *viz.* Legatos hoſce, ut ædibus non exeant, ne forte ab irato populo quippiam contingat ſiniſtri, donec de hujus calumniæ auctoribus, ipſis purgatis, bene conſtet, per Secretarios admonendos: hoc modo inducendos, ſi ab aliquo maleferiato homine, qui ipſis ſucum fecerit, ejuſmodi rumuſculos percepiſſent, ut illum proderent; hanc calumniam tum Principis tum ipſius nomine Ordinibus regni propediem patefaciendam, ut colloquio cum Communitate mox habito, illorum junctis conſultationibus idoneum huic malo quæratur remedium; utriuſque Cameræ Prolocutores, ſi videbitur, cum Legatis expoſtulare debere, & de iſtius magnæ curiæ poteſtate examinandi & puniendi ejuſmodi crimina, quibus læſa Principis fama, publica tranquillitas non parum periclitari videtur, verba facere: non aliter de Regis ſalute, niſi productis teſtibus, proſpiciendum eſſe; ſi recuſaverint, tanta cum ſolennitate admoniti, tum jure gentium tum Anglicano illos eſſe Auctores ſcandali ſcripto publico denunciandos; Principis & Buckinghamii innocentiam quoque ſimul eſſe declarandam; Ordinibus illud a Rege petentibus, ſpiculatores præ foribus ædium excubias agere oportere, ne ſeſe ſubtrahant; edictum, ne quiſpiam ſubditorum illos, niſi prius impetrata venia, adire audeat, edendum; denique literas Comitum & Baronum & Prolocutoris Communitatis totius Angliæ ſigillo munitas ad Regem Hiſpaniæ, ut

pœnam

pœnam pro ratione delicti Legatis irrogare velit, uti olim factum erat in literis ad Pontificem Romanum anno quadragesimo quarto R. Henrici III. & vicesimo octavo R. Edwardi I. contra Legatos auctoritate sua abutentes, mittendas. Si autem debitam pœnam infligere recusaverit Rex Hispaniæ, hoc modo culpa Legatorum in ipsum translata omnem deinceps concordiam jure cessare, bellumque denuo indicendum esse. In plerisque sapientissimum hoc Cottoni consilium serenissimus Rex, suggerente Buckinghamio, approbare & sequi dignatus est. Dum vero lenitatem Regis Jacobi miris elogiis prædicaverint vicinæ gentes; socordiam Hispanorum, qui Inojosanum summa Ducatus Mediolanensis præfectura, & Columnam amplioribus muneribus in Belgio auxerunt, quasi hoc illaudabili facto præclare meruissent, acerrimis censuris perstringendam unanimi sententia censuere.

Quanto autem ardore & studio ecclesiæ causam, ne a temerariis Laicorum sese sacris nimium importune immiscentium ausibus male pateretur, sustinuerit, qualique affectu viros Ecclesiasticos coluerit Cottonus, hoc insigni exemplo constat. Cum enim quidam Puritanorum partibus addicti, Erastianorumque dogmatum fermento imbuti, quo per disciplinam laxatam, hisque speciosis artibus facilius subruendam, Schismaticis elatiori animo, erectioribusque cristis insanam reformationem sanctimoniæ zelo obductam palam ostentare & impune, pristinis legibus calcatis, agere liceret, leges Ecclesiasticas, ipsis Viris Ecclesiasticis inconsultis, & plane refragantibus, a secularibus ordinari & posse & debere, argumentis ab Imperatorum constitutionibus, Regum Saxonicorum legibus, Majorumque, qui istas sedes occupassent, praxi in hujus novæ sententiæ præsidium depromptis, in senatu contendissent: ea omnia sibi ventilanda suscipiens, aut misere detorta, rem, qua de controvertitur, parum attingentia, aut male accommodata contrariis hisce assertionibus docet, *viz.* Imperatores & Reges, Orthodoxos nimirum & piissimos, ex quo nomina Christo dedissent, quibus ex plenitudine summæ potestatis in omnes subditos cujuscunque ordinis & gradus exercendæ, quicquid ad externum regimen Ecclesiasticum spectat, ordinandi jus competit, veteri illa Canones condendi facultate Ecclesiasticis relicta integra, illos conditos sanctionibus suis roborasse; neutiquam vero Episcoporum disceptationibus intercessisse; si vel ipsi vel illorum Vicarii Conciliis adessent, id honori, quo in venerandum concessum ferebantur, & pacis decorique servandi, ut omnia absque strepitu & tumultu peragerentur, studio dandum; etiam quandoque constitutiones civiles, si quoquo modo antiquæ Ecclesiæ Canonibus repugnaverint, vel ipsis Principum edictis, irritas fuisse: eandem quoque temporum Saxonicorum rationem fuisse; decreta nimirum Synodalia a Regibus & Præsulibus constituta, a Magnatibus, tantum pœnis transgressoribus per brachium temporale irrogatis, fuisse confirmata; omnibus publicis consultationibus interfuisse Episcopos, etiam ordinarios Sacerdotes in generalibus regni Comitiis adscitos, utpote partem populi Anglicani non contemnendam, saltem per Procuratores suos pridem suffragia habuisse; Synodos cleri provinciales de rebus sacris ordinandis omni tempore habitas; etiam apud Britannos & in ipsis fidei Christianæ apud Saxonas introductæ initiis obtinuisse; illam autem potestatem, quam jurium Ecclesiasticorum invasores sibi amant arrogare, cum formula summonitionis neutiquam conciliari posse; Legem istam, qua auctoritas Regia in rebus Ecclesiasticis R. Henrico VIII. & successoribus in integrum restituitur, primo a Convocatione latam, deinde Actis Ordinum stabilitam fuisse; denique ejusmodi conatus olim (neque enim illud prorsus novum aut antea inauditum erat, quod moliti sunt) Regibus Angliæ sibi pariter ac Ecclesiæ prudentissime caventibus, in meros fumos abiisse. Non meliorem causam quisquam Patronus tutatus est unquam, aut bona causa meliorem nacta est Patronum.

Sæpe vero, regnantibus Jacobo & Carolo, inter inferioris cameræ Senatus Parlamentarii Assessores cooptabatur Cottonus, nec quisquam ob sedatum judicium, sapientiam, exquisitamque rerum Anglicarum cognitionem dignior, qui publicis conciliis interesset. Querelæ de oneribus gravaminibusque, quibus Anglia dudum sub R. Jacobo laborabat, ubique fere in omnium ore percrebuere: *viz.* pensiones profusionesque pecuniarum immodicas fuisse, exhausto penitus Scaccario; commercium diminutum, remque nauticam dilapsam retro ferri; plebem ex monopoliorum exactoribus oppressam; dignitates, debitum magnorum meritorum præmium, pretio comparatas; Angliam vafris artibus Hispanorum, nuperum fœdus de nuptiis ineundis, donec occuparetur Palatinatus, quem facile, si legationum sumptus in copiis militaribus conscribendis impenderentur, proscriptus Comes recuperasset, in longum tempus trahentium, misere delusam; & maxima regni negotia à paucis, qui apud Regem gratia præpollebant, cæteris, solo Consiliariorum elogio gaudentibus, exclusis, disceptata.

Hæc & similia mala in Parlamento primo R. Caroli, sæviente Londini peste, Oxonii indicto, gravi oratione, facta temporum ex antiquis historiis superstitumque memoria comparatione recensere suarum esse partium credidit Cottonus, & Regis & Patriæ, prout fidelem subditum, probumque civem decuit, commoda simul promoturus: non quidem, ut Regis clementissimi, a cujus prudentissima rerum administratione optima quæque & felicissima erant exspectanda, exasperaretur animus, sed ut ea demum sub initiis regni tollerentur, horum vero remedia ipsius pietati & prudentiæ relinquerentur. Sed Cottoni aliorumque moderata consilia, quibus simultates injustissimæque contra Regem optimum suspiciones magis magisque succrescentes sopiri potuissent, fervidioris ingenii Demagogis, qui sub zelo in quosdam præpotentes Aulicos, quos horumce malorum architectos fuisse insimulabant, animadvertendi

malos affectus obtegentes,& ex turbatis rebus fortunas suas reparare sperantes,maxime displicuere, æquissimis Regis postulationibus præfracte rejectis. Ab hac fatali epocha (in duobus enim mox sequentibus Parlamentis vulnus istud, nulla arte ex pertinacia medicorum sanandum, recruduit; neque factiosi homines, rebus novis tum in Rempublicam tum in Ecclesiam introducendis intenti, melius sapuere) motuum, quibus universa Anglia postea per tot annos miserrimum in modum affligebatur, tot millibus, flagrante Parlamentaria rebellione, cæsis, tandemque innocentissimo Rege, cujus mitissimum ingenium ab omni affectata tyrannide quam maxime abhorrebat, obstupescente universo orbe, manu carnificis à scelestissimis homuncionibus summum jus in vitam Principis obtentu potestatis Parlamentariæ impiissime arrogantibus, trucidato, historia deducenda est.

Rebus in Parlamento Oxoniensi è pravis turbidisque quorundam R. Carolo subsidia bello apparando, quod Pater, illorum repetitis importunisque precibus, contra Hispanos nuper inierat, necessaria postulanti negantium ingeniis, male succedentibus, difficultates novas, easque majores, mox subnascituras, quisque sagaci animo prævidebat. Illas autem modis suavibus, salva & illæsa dignitate Regia, amoliendi maxima Administrorum fuit cura, qui inter tot incerta consiliorum, isthoc negotio adhuc integro nondumque constituto, mente dubii, aliorum, & imprimis Cottoni, quem tum ob consummatam prudentiam solertiamque in rebus politicis & Parlamentariis tractandis, tum ob studium probitatis cum utilitate publica conjunctum, omnes, etiam illi, licet ex injustissimo metu Regiæ potestatis ultra legum constitutos limites evagaturæ, partibus Regiis iniquiores, suspexerint, judicia explorare voluere. [e] Ille vero instar periti Medici, tarda remedia ancipitibus, quæ humores irritant, ægrotantique certam sæpenumero inferunt perniciem, sapienter anteponentis, mala reipublicæ, non novis exactionibus, qualicunque prætextu sive mutui sive obsoletarum legum velatis exasperanda, sed prudenti moderatione mitiganda suadens, audacter statuit, nullam sive expeditiorem, sive certiorem, sive tutiorem pecunias subsidiarias colligendi, quam juxta antiquam Angliæ consuetudinem legibus firmatam, per Parlamentum, rationem iniri posse; huic Regiæ viæ insistendum esse, anfractuosis salebrosisque tramitibus, qui compendium facere videantur, relictis; aliter metam nunquam attingi posse; necessitatem, utut justissimam, apud populum vim legis haud obtinere; hinc novam dissidiorum materiam suppeditari, & a factiosis hominibus calumnias passim spargi, quasi jam de legibus & religione actum sit; pecuniam a populo malis suspicionibus affectibusque exagitato non nisi per vim extorqueri posse; inde seditiones & tumultus haud facile pacandos, exitusque funestos fortean habituros oriri; denique Ordines regni iterum convocandos, & ad obsequendum Regi persuadendos: hoc enim sperari jubet, si consilia ista, quæ ipsis mandantibus affatim proponit, in usum praxinque reducantur. Hac præclari epicrisi submissa,rem esse ait mali ominis, fideles Administros, invidia oppressos, a Rege destitui, & ad placandam iratam plebem in hostias piaculares quasi projici; illumque cum Ordinibus decidendi, seseque ab incommodo, quod premit urgetque, expediendi modum non raro ipsis Regibus exitialem fuisse; quod infelicissimi Principes, Edwardus II. Ricardus II. Henricus VI. fato maxime deplorando experti sunt. Hisce autem diligenter & serio perlectis perpensisque, quispiam bona mente præditus jure dixerit, ipsam Sophiam Themidemque, sacra quasi consultatione habita, Cottono adsidentes, ista oracula dictasse: quæ tamen pervicacissimi homines de Rege optimo, quo nemo, ne R. Elisabetha quidem excepta, religionem Ecclesiæ Anglicanæ vere Apostolicam sinceriori & cordatiori affectu amplexus est, aut populi Anglicani jura legesque exquisitiori cura & solicitudine servavit, pessima quæque suspicantes, duobus sequentibus Parlamentis, irrita reddidere.

Reges sane nullis præ imbecillitate ingenii, nimiove potestatis amore & studio, aut ex perversis Ministrorum suggestionibus in rebus administrandis erroribus obnoxios, & ab omni labe, quatenus aut Reges aut homines sunt, integros fore, frustra est, & humanæ conditionis ignarus, qui exegerit: sed ejusmodi minimis, si quis unquam, urgebatur R. Carolus. Hinc tamen in illum postea quasi in libertates & jura populi sui involasset, declamandi in publicis Comitiis [f] mox Westmonasterii celebratis ansa arripiebatur, eo quod Consiliarii, Regia auctoritate muniti, quosdam malevolos & pervicaces, quorum fidem erga Regem suspectam habuere, licet id certis indiciis & probationibus coram tribunali proferendis non tunc constaret, nulla speciali causa assignata, carceri, solummodo ad tempus, ne elaberentur utpote sub arcta custodia mansuri, addixerint. Huic prærogativæ, quam augustæ memoriæ Prædecessores, si qua ratio politica aut necessitas, quod frequenti usu venit, impulisset, vendicarunt, & qua sublata illis vix sese præsertim in difficillimis temporibus, adversus vafras seditiosorum machinationes tueri licebit, intercedunt Senatores, jurium suorum strenui assertores; & quidem cum venia, imo & approbatione ipsius Regis, ab ipsa sponte cessuri, si legibus antiquis repugnare comperiatur, modo intra æqui fines ejusmodi vindiciæ steterint. De hac re maximi momenti cum Advocatis Regiis alteram partem acriter tuentibus coram Proceribus, a Communitate Angliæ inter alios disceptaturus eligitur Cottonus, qui pensum istud ipsi demandatum optima fide, diligentia, & admiranda ingenii dexteritate, legum antiquarum apiculis summa cum solertia discussis, rotulisque Parlamentariis

e *Consilium hoc vere politicum publici quoque juris fecit Joannes Rushworthus J. C. ex Hospitio Lincolniensi in historicis Collectaneis, pag. 467.* f *Tertio Caroli* A. 1627.

sedulo

sedulo exploratis, absolvit: quod ex *Argumento*, uti appellatur, sive dissertationum, quas in istis collationibus illorum jussu protulit, serie cuivis harum rerum vel leviuscule perito facile constare poterit. Quam beata felixque perstitisset Anglia, si lites istæ ejusmodi disceptationibus, non feralibus præliis, quibus in mutuam ruitur perniciem, fuissent decisæ & tamen licet toties icti, nondum sapimus. Sed, ut quod res est fatear, (neque enim Cottoni famam ex alienis laboribus clam surreptis exornare opus est) *Argumentum* illud, sive dissertatio in illa celebri collatione habita, quæ in posthumis Cottonianis a Jacobo Howello primo editis sub ipsius nomine prodiit, D. Edwardo Littletono J. C. ex interiori Templo, postea custodi magni sigilli Angliæ, potiori jure videtur ascribenda, cujus epitomen, iisdem verbis subinde repetitis, exhibet Joannes Rushworthus in suis Collectaneis historicis, pag. 528. Ut Ordines regni simul conjuncti jura sua, ne a Regia potestate absorberentur, petitionibus & protestationibus interpositis fortiter asseruere, ita non minor solicitudo inerat Communitati, ne ab ipsis Baronibus, ad quorum potentiam, ut dixi, temperandam R. Henricus III. illam ad *generale Placitum* sive *Parlamentum* convocavit, diminutis juribus, læderetur. Ab isthoc autem tempore, Communitati pariter ac Baronibus causas tam civiles quam capitales judicandi facultatem & jus competiisse, saltem Baronum sententiam non nisi illis quoque consentientibus ratam firmamque fuisse, exemplis, quæ consuetudinis, in qua jus istud fundatur, probationem validam & neutiquam eludendam inducunt, congestis, in epistola ad quendam Virum nobilissimum docet Cottonus, atque aliter, ni temperamentum illud sapienter introductum integrum servetur, plane verendum esse, ne frœnis Regiæ potestati a præpotentibus Baronibus injectis Monarchia vertatur in Aristocratiam.

Cum quidam vafri homines thesaurum ærarii ex aucto monetæ valore non parum augeri posse Regi proposuissent, Consiliarii Cottonum aliosque ad dicendam de hac re in sacratiori consessu, die præstituto, sententiam, accersendos curarunt. Cottonus vero, cui universæ commerciorum, in quibus pecuniarum permutatio non minimum occupat locum, rationes erant perspectissimæ, gravi oratione, ex historiis nostris & ab ipsis rerum momentis solerter & ingeniose demonstrat, nihil magis Regi, si ejusmodi mutationes permitterentur, in dedecus aut damnum cessurum; non modicam labem justitiæ, ex qua Regum fama maxime pendet, & vindicanda est, illinc aspergendam; cujuslibet bene moratæ Reipub. veram gloriam & magnitudinem in nummorum puritate & integro pondere plurimum consistere; R. Edwardo I. non majorem gloriam à victoriis, quam à sapientissima rerum administratione, & potissimum a studio ac cura nummis aureis & argenteis, ab anteactorum seculorum scoria & inquinamentis repurgatis, justum pretium reddendi; eorundem diminutionem, ærisque admixtionem esse plane indubium declinantis imperii indicium, quod calamitosa R. Henrici VI. tempora satis clare indicant; R. Henricum VIII. post tot victorias foris reportatas, immensis opibus luxu consumptis, hac turpi re admissa, domi famæ naufragium fecisse; R. Elisabetham pecuniam ad summum valorem, pari puritate addita, quem regnante R. Edwardo IV. proavo suo, habuit, in ipsis regni initiis ex consilio clarissimorum Virorum, & in æternum ob summam prudentiam civilem celebrandorum, D. Gulielmi Cecilii & D. Thomæ Smithi, immortali nominis sui gloria revocasse; incerto pecuniæ pretio omnes stipulationes vacillare; nihilque opibus, quæ in pecuniis numeratis consistunt, certi inesse; victum reliquumque necessarium vitæ apparatum eo carius vendi debere, operasque infimæ plebis non nisi majore stipendio & mercede conducendas; denique alia incommoda inde oritura, quæ facilius præcaveri quam tolli possunt. Deinde schedas suo & sociorum in communi consultantium nomine exhibet, in quibus argumentis Monetariorum, qui hoc unice & impendio, lucri inde in ipsos derivandi causa, volebant, technis dolisque eorundem quoque in apricum eductis explosisque, accurate respondetur; tandemque coronidis vice subnectit quasdam regulas sive corollaria maximi usus & exploratæ fidei de metallis istis pretiosioribus, tam rudibus & infectis, quam signatis & in titulos faciesque minutas concisis, quæ, post consultationes adhibitas, summa cum solertia & judicio constituebantur. Sed de editis opusculis Cottoni hactenus.

Quædam alia opuscula scripsit Cottonus, sive propria sponte ex fæcunditate solertis ingenii in rebus diversi argumenti elaborandis exercitati, prout occasio ferebat, sive rogatu aliorum incitatus; puta

De Scutagio.

De jure & commoditate sepiendi agros & convertendi terram arabilem in pascua.

De antiquitate Christianæ religionis in Britannia.

De antiquitate, dignitate, & officio Seneschalli & Mareschalli Angliæ.

De antiquitate, etymologia, & privilegio Castellorum.

De antiquitate, etymologia, & privilegio oppidorum.

De mensuris agrorum.

De antiquitate Symbolorum, & de subditorum insignibus gentilitiis.

Collectanea curiosa.

De rebus militaribus.

De mercatura, aliisque congeneris argumenti.

Collectanea ex rotulis Parlamentariis, diversa ab iis, quæ sub illius nomine prodiere, id apponente Bibliopola, ut mercimonium istud præstabilius vendibiliusque redderet.

Cottonus de notitia comitatus Huntingdoniensis, in quo natus erat, edenda olim cogitasse, facile inducor, ut credam, ex materia congesta è libro censuali aliisque: sed aliis studiis impeditus, non ultra processisse videtur. Aliud vero opus nobilissimum & maximi momenti, quod illustrandis Ecclesiarum Britannicarum

carum antiquitatibus optime conduceret, de statu religionis Christianæ in hisce insulis, à primo recepti Evangelii tempore per continuam seculorum seriem & successionem, quantum ex vetustis codicibus colligi poterat, usque ad reformationem, sub R. Edwardo VI. initam, molitus est, vel saltem conscribendum primo proposuit; consilium istud R. Jacobo à Comite Arundeliæ communicatum mirifice placuit. Quibus autem de causis cessavit, plane incertum est; nisi potius dicendum sit, D. Usserium istud pensum in se suscepisse: cujus primam, eamque præcipuam partem tandem in laudatissimo de Ecclesiarum Britannicarum primordiis libro, subsidiis, quæ affatim suppeditavit bibliotheca Cottoniana, fretus, publici juris fecit. Ad integrum opus absolvendum ingentem documentorum molem octo voluminibus comprehensam collegerat Cottonus; de cujus curiosissimis & quantivis pretii collectaneis, alias longe melior dabitur differendi occasio.

Ad Cottoni ædes, tanquam ad communem reconditioris doctrinæ apothecam, sive ad novam Academiam, quotquot animo paulo erectiori musis & gratiis litaverint, sese recepere, nullam a Viro humanissimo repulsam passuri: quippe idem literas bonas promovendi studium erat omni anctoramento longe potentius. Nec ista obvia morum facilitas, qua omnes bonos eruditionisque candidatos complexus est, quicquam reverentiæ qua vicissim ille colebatur, detraxerat: potius, omnium, quos familiari sermone repetitisque colloquiis dignari placuit, in se amores & admirationem hac insigni naturæ benignitate excitavit. Ille enim ex vero literarum amore qualescunque aliorum, qui ingenii & industriæ monimentis patriam ellent illustraturi, conatus strenue adjuvare & curæ & voluptati sibi esse duxit; nullius famæ invidens, non parcus temporis laborisve, in gratiam amicorum, illius opem & consilium implorantium, impendendi; imo, si minus innotuissent, non alio parario, nou aliunde quæsita commendatione opus habuere, qui quippiam grande ausuri, de apparatu necessario, de methodo ac ordine, quibus esset utendnm, oraculum illud irent sciscitatum. Hanc benevolentiam, si quis unquam, sæpissime expertus est Joannes Speedus, Civis Londinensis, ob industriam saltem maxime commendandus, qui generalem magnæ Britanniæ historiam qualemqualem vernaculo idiomate pro captu, modulo, viribusque suis scribere aggressus, tanto oneri plane succubuerat, nisi Cottonus subsidiariam laboranti operam præstitisset: cujus consiliis monitisque tanquam filo Ariadnæo sese ex ista Labyrintho tandem feliciter extricavit. Cottonus enim schedas incultas scabrasque ingenio, tanquam lima, perpolivit, ubi necessitas postulaverat, recoctas denuo reformavit, & insigni observationum supplemento è penu suo auxit, ut opus illud qualecunque, quod longe alium auctorem in vetustis Scriptoribus tabulariisque publicis versatissimum desideraret, si non cum lande, saltem cum venia & fructu legeretnr. Alios quoque rerum nostrarum peritos, lucnbrationibus istis, qnibus unius Viri industria elaborandis vix suffecerit, symbolas suas addidisse fide certa constat, quos justis elogiis in fine operis celebrat Speedus.

Ut vero opus istud ornatius prodiret, seseque Lectoribus curiosis in gratiam insinuaret magis, ex cimeliarchio suo [g] ectypa rarissimorum numismatum Regum Britannorum, Saxonum, Danorum, & Normannorum æri incisa suis in locis coram repræsentari passus est Cottonus, quod istius historiæ consarcinator gratus agnovit. Cum enim lumen rebus nostris, spissa caligine involutis, melius detegendis illustrandisqne ab antiquis nummis, annulis, monilibus, armillis, sigillis, cæterisque prisci ævi reliquiis ab edace tempore non absumptis, quas subtus terram per tot secula latentes in apricum protulisset casus, ac a marmoribus affundi solere cuivis esset compertissimum, pretiosam hanc supellectilem, tanqnam nobilem Bibliothecæ appendicem, in loculis reponendam, per universam Angliam conquisivit. Merx sane literaria merito censetur, secundum vetustos codices maximi facienda. Hunc vero thesaurum nullius aut oculis videndum aut manibus tractandum denegavit Cottonus, sed ejusdem, quasi sui non esset peculium, in privato censu recensendum, sed universæ Literatorum genti communi jure competiisset, copiam cuivis recte utenti & pro dignitate æstimanti pro egregia sua humanitate impertitus est. Ea vero numismata, quæ ad patrias Antiquitates illustrandas quoquo modo pertinent, sive sub ipsis Britannis Regulis, sive sub Romanis Imperatoribus signata, [h] præstantissimo Viro, G. Camdeno suo, tabulis in opere immortali inserenda, eruditissimisque commentariis explicanda communicavit. Ipse autem Cottonus decennio post (A. C. 1617.) Britanniam ultimo editam iconas numismatum Anglo-Saxonum & Danorum Regum, una cum posterioris ævi Principum notitiorum sigillis, ex quo in usu esse cœpissent, tabellis exprimendas curavit, ectypis apud se reservatis, [i] quibus illustres Viros, Nicolaum Fabricium Peireskium & Petrum Puteanum, ingentia Galliæ lumina, aliosque intimæ admissionis amicos donavit. Non enim tabellæ istæ in communem omninm usum erant publicandæ, donec ad eas illustrandas justum, quem, ut puto, molitus est Cottonus, commentarium absolvisset. Sed prorsus dolendum est, illum majoris momenti negotiis, ut videtur, abductum, ab isto proposito abstinuisse.

Quasi vero omnium gentium omniumque seculorum gesta vasto excelsæ mentis ambitu comprehendisset Cottonus, Ricardus Knolles, Scriptor apud nostrates ob historiam gentis Turcarum a prima origine, non incelebris, eandem recocturus, inque novissima tempora producturus, illum de supplemento consulit; nec id

g *Vid. Historiam magnæ Britanniæ pag. 25. a. & præcipue summariam istius libri conclusionem Londini 2. edit. 1623.* h *Vid. Camd. Britan. pag. 61.* i *V. Camd. Ep. p. 295, 263, 291. & vitam Peireskii a Gassendo scriptam lib. 3. p. 102, 103.*

quidem

quidem temere aut *ἀσὺχως*, cum forte ipsi suboluerit, Cottonum epistolas authenticas Magistrorum Equitum Rhodiensium, qui pro fide Christiana contra barbaros & infideles strenue dimicarunt, aliorumque magni nominis Virorum, de rebus ab ineunte superiore seculo & deinceps in Oriente gestis, & Syllogen epistolarum, quas V. Cl. Edwardus Barton, pro R. Elisabetha ordinarius apud Portam Ottomanam Orator, qui cum Mohammede Imperatore in Hungariam profectus, isti bello interfuit, continenter scripsit, quæ novam, eamque ampliorem, materiam historiæ suppeditaret, apud se habuisse.

Sed ut minorum gentium scriptores omittam, duos Viros maximos, DD. Franciscum Baconum & Gualterum Rawleighum, tantum in præsenti nominabo; quorum hic, carceris in turre Londinensi pœnam luens, in secunda universalis Historiæ parte antiquitates Britannicas indagaturus, ut quosdam codices tum typis impressos, tum manu exaratos, sibi utendos dare vellet Cottonus, literis petit: ille autem describendæ R. Henrici VII. quem tanquam exquisitissimum politicæ prudentiæ exemplar stylo elegantissimo repræsentat, vitæ intentus, V. Cl. Gualteri Hawkesworthi, communis amici, manu & opera apud Cottonum usus est, ut quicquid documentorum & narrationum, quæ aliis non bene compertæ erant, felici & sagaci industria collegisset, id impertiri non gravaretur.

His quoque accensendus est vir summus & omnigena eruditione cumulatissimus, Joannes Seldenus, qui nascentem gloriam famamque, quæ postea fere in immensum crevit, Cottoni tum libris chartisque mutuo acceptis, tum familiaribus colloquiis, (a quibus, ipso fatente, non nisi doctior novisque luminibus instructus discessit) & amicitiæ debuit: cujus accepti beneficii memor, virtutumque Cottoni admiratione defixus, illi librum *Analectorum Anglo-Britannicorum*, magnifico & plane invidendo elogio inscribit, (1615.) & biennio post (1618.) in ejus laudibus celebrandis præfixa Historiæ *decimarum* epistola dedicatoria fuse exspatiatur: ingenua professione præmissa, se non minus justitiæ rationibus quam obsequii & observantiæ debito ductum, hoc fecisse, ut, quod ipsius egregia humanitate doctisque consiliis, pleraque ex parte adjutus collegisset, *id ipsum non dare sed reddere videretur*. Cottoni vero acre & perspicax judicium adeo reveritus est Seldenus, ut illius suasionibus consilusque pariter ac genio & propensioni naturæ obsecutus, marmora, quæ illustrissimus Vir, Thomas Howardus, Comes Arundeliæ, in Angliam ex Græcia, tanquam opima spolia è manibus barbarorum erepta, in quibus vetustioris Græciæ celebriores epochæ, aliaque venerandæ antiquitatis arcana panduntur, advehi curaverat, additis demum eruditissimis commentariis, illustrare, illo potissimum hortante, ne dicam impellente, facile in se suscepit. Seldenum sane ob cultissimi ingenii dotes, quæ tanquam tot gemmæ in ipsa juventute emicantes, certam optimæ frugis, maturescente ætate, spem fecerant, amore suo dignissimum judicavit Cottonus, & per totam vitam arctissima necessitudine & benevolentia complexus est: illum autem tanquam Patrem & Patronum studiorum vicissim coluit Seldenus, illiusque anima ad cognatum coelum transvolante, obsequii debito quasi jure clientelari ad hæredes devoluto, postquam omnium eruditorum per universam Europam, ubi politioris literaturæ studium viguit, applausus merito suo adeptus, ingens Britanniæ decus & ornamentum haberetur, D. Thomam Cottonum filium, & D. Joannem Cottonum nepotem, tunc juvenili ætate ad avitam Majorum gloriam ex honesta æmulatione æquis passibus contendentem, omni morositate seposita, egregia comitate indesinenter excepit. Quinetiam in eorum negotiis, si qua occasio impulerit, grassante impia istorum temporum rebellione, quando Proceres Senatoresque Parlamentarii in Regiis partibus, quas viri hi nobilissimi integra fide secuti sunt, addictos dominarentur, procurandis promptus alacerque, nullis sive humanitatis sive observantiæ officiis, quibus benevolentiam suam testaretur, omissis neglectisve: tandemque, ut memoria tam sinceri affectus & observantiæ apud nepotes nepotum in familia Cottoniana perennaret, morti [a] propinquus, duodecim discos argenteos deauratos, in quibus affabre coelantur labores Herculis, scyphum ex concha margaritifera tornatum, aliaque pretiosa donaria testamento legavit.

Nec minor in alios, licet non in eminentiori gradu collocatos, sed in secundis consistentes benignitas, modo quippiam, quod literis & patriæ sive honori sive commodo quoquo modo conducere posset, molirentur; quod V. Cl. Joannes Weaverus & lætus sensit, & gratissimo ore prædicavit. Ille enim otio abundans, pio clarissimorum Virorum memorias ab oblivione & interitu vindicandi desiderio incensus, itineribus per varias Angliæ provincias, & etiam in Scotiam, susceptis, inibique Ecclesiis Cathedralibus, & si quæ essent celebrioris notæ, Parochialibus lustratis, sepulchra cæteraque monimenta diligenti oculo exploravit, epitaphia exscripturus. In hoc autem nobili instituto insignes quosdam Viros, Schraderum, Chytræum, & Sweertium, qui Italiæ, Galliæ, & Germaniæ titulos cippis marmoribusque incisos publica luce donarunt, ipsi præeuntes habuit. Labor sane optime impensus videtur, & omni commendatione dignus, præsertim si advertamus, characteres in æreis laminis, quas rapaces sacrilegorum manus non abripuissent situ obductos & exesos, visum fugere & obliterari incepisse. Hunc a V. Cl. & inter Heraldos post Gloverum, Camdenum, & Dugdallum, ob stupendam in stirpibus nobilium Angliæ familiarum indagandis solertiam maxime insigni, Augustino Vincentio, commendatum summa benignitate excipit Cottonus; consiliis adjuvat, & ut institutum illud, dum valetudo, dum ætas, dum

[a] *Obiit 30. Nov. 1654.*

5 d otium

otium ſiverit, uſque & uſque proſequi velit, urget, documentiſque ad iſtam indaginem accuratius faciendam de locis, (ut credere par eſt) ubi magnorum Virorum, de quibus erat inquirendum, cineres conduntur, aliiſque ex vetuſtorum codicum indicio expedite impertitur. Dum vero Weaverus [b] librum, modicam, uti videtur, operis deſtinati partem, ex ingenti Collectaneorum mole, ſelectum, prelo mandat, moritur Cottonus: quem eo impenſius laudat, & debito gratitudinis ſenſu tactus, de ſe & opere ſuo optime meruiſſe teſtatur.

Magnates quidam, qui regnante Jacobo 1. titulis, dignitatibus, & opibus bonarum literarum ſtudium conjunxerant, Cottoni exemplo (quid ni enim dixerim?) incitati, de bibliothecis in ſuis ædibus condendis erant maxime ſolliciti, quaſi illæ, licet deauratis laquearibus, picturis, ſtatuis, toreumatis, lectulis affabre elaboratis, ſuppellectile pretioſa, reliquoque, quem aut exteræ regiones aut domeſticorum artificum ingenium & induſtria ſuppeditare ſolent, inſtructæ, præcipuum, ipſis judicibus, a Muſeo ſplendorem & ornatum mutuarentur. Ad illud autem recte inſtituendum, librorum, qui non ad pompam aut oculorum delicias, ſed ad uſum cultumque mentis ſobriæ, & ſapientiam ab optimis Magiſtris aſſidua lectione acquirendi cupidiſſimæ, erant comparandi, delectu opus habuere, nec quiſquam laudatiſſimis hiſce curis magis exercitatus occurrebat, qui ſubſidiarias operas præſtaret, quam Cottonus; quocum illuſtriſſimi Viri, Henricus Howardus, Comes Northamptoniæ, Cottono, ſi quis unquam, amiciſſimus, Carolus Bluntus, Comes Devoniæ, & Robertus Sidneius, Comes Leiceſtriæ, libris pertinaci ſtudio colligendis maxime intenti, tum ſermone tum literis ſæpe egerunt. Sed haſce nobiliſſimas bibliothecas (uti & multas alias, quibus olim nobiles familiæ merito ſuperbiebant) poſſeſſoribus procul dubio perquam digniſſimas, aut deplorandæ motuum nuperorum in Anglia viciſſitudines, aut hæredum ſocordia & avaritia, aut edax tempus, inductis patrimoniorum bonorumque nobilium mutationibus, aut longe voraciores flammæ jactura plane irreparabili abſumpſere: quod triſte fatum ſubiit bibliotheca Sidneiana, quam illuſtriſſimus Comes, filius, hæres, & ſucceſſor, paternis veſtigiis inſiſtens, parique literarum amore incenſus, magnis acceſſionibus locupletaverat, quo tempore magnificæ ædes Penſhurtianæ fere ante triginta annos deflagrarunt.

Vita functo Henrico Howardo, Comite Northamptoniæ, nullius præ illuſtriſſimo Viro Thoma Comite Arundeliæ, ejus fratris, *viz.* Thomæ Ducis Norfolciæ, nepote, amicitiam aut majori ſtudio captavit, aut ſinceriori obſequio coluit Cottonus, ab eodem paribus veri amoris & obſervantiæ officiis deinceps proſequendus. Affectum illum, alterutrinque certatim repenſum, induxerunt idem bonarum literarum amor, eadem morum ſimilitudo, eadem patriam ornandi & adjuvandi, collectis literariis, licet diverſi generis, monimentis, voluntas & cura: nulluſque dubito, quin ab iſta bona æmulatione Comes codices Græcos alioſque manuſcriptos, marmora, ſtatuas, protomas, toreumata, picturas numiſmata, ac gemmas, Athenis & Romæ a peritiſſimis artificibus affabre cœlatas, iiſque capſulis Imperatorum, aliorumque priſci ævi, quos ſors naſcendi aut heroica virtus ad ſummas dignitates extuliſſet, (neque enim ob materiam artemque exquiſitiſſimam, qua pretium augeri ſolet, in cenſu privatorum eſſe poterant) olim repoſitas, ex Oriente ſumptibus pene immenſis procurandi deſiderio poſtea incenderetur. Hujus celebratiſſimam bibliothecam, quæ Arundeliana nuncupatur, illuſtriſſimus Vir, Henricus Dux Norfolciæ, Thomæ nepos, Regali Societati Londinenſi, & marmora Academiæ Oxonienſi dono dedit. Dactyliothecam vero, qua aut ditiorem aut curioſiorem per univerſam Europam vix reperire eſt, jam poſſidet vir nobiliſſimus, D. Henricus Comes Petriburgenſis, qui ex inſito antiquitatis amore, admiranda plane ſolertia, ejuſmodi gazas, vel ipſis Regibus invidendas, a multis annis collegit: cujus ſummæ benignitati debeo, quod jucundiſſimo hujus incomparabilis theſauri conſpectu oculos mentemque meam pluſquam ſemel refecerim. Hinc iſta familiaritas inter Comitem & Cottonum, ſalva dignitate, in colloquiis crebriſque congreſſibus perſpecta, ut alter altero, quod certiſſimum eſt veræ amicitiæ indicium, delectaretur; hinc literarum illud, dum Comes, relicta pro tempore Anglia, Italiam aliaſque regiones peragraret, commercium; quocunque peregrinaretur, Cottonum ſuum quaſi ſemper ſecum ferre viſus eſt, ſi non oculis, ſaltem in memoria habens, ſpondenſque, iter illud longe jucundius fore, ſi ille ſibi adfuiſſet; hinc denique poſt reditum in patriam mutui amplexus & & arcta neceſſitudo, fortiori vinculo colligata, & per integram vitam repetita, quam ſola mors Cottoni terminaverit, relicto apud Virum maximum tam chari capitis ingenti deſiderio.

Amicitia vero (A. 1615. exeunte) cum D. Roberto Carro Scoto, quem ampliſſimis in Anglia muneribus auctum nimius R. Jacobi favor ad titulum & dignitatem Comitis Somerſettiæ evexerat, pridem inita, non mediocre Cottono faceſſebat negotium; quod hic non celandum arbitror, licet ad rem iſtam animum non ſerio advertentibus aliquam labem famæ Cottonianæ inferre videatur. Comes iſte inſanis Eliſabethæ, Comitiſſæ Eſſexiæ, jam ob frigiditatem marito intentatam ex Judicum ſententia ab iſtius matrimonii contracti vinculo ſolutæ, amoribus abreptus, D. Thomam Overburium Equitem auratum, ingenii laudibus celebratiſſimum, tunc temporis in turre Londinenſi, eo quod legationem in Moſcoviam ipſi a Rege demandatam obire pertinaciſſime recuſaſſet, carceris pœnam luentem, venenatis medicamentis enecandum curavit, illa potiſſimum inſtigante, cujus odium in Virum clariſſimum, qui, pro debita

b *Liber iſte impreſſus erat Londini in folio, 1632.*

amicitiæ

amicitiæ & familiaritatis ratione, ut ille præ se ferebat, celata in familiam, e qua oriundus erat, Suffolciensem inimicitia, illas infames nuptias importunis precibus argumentisque subinde ingestis avertere conatus est, non nisi sanguine illius erat placandum. Scelere mox detecto, conscii & participes vitam suspendio finierunt, è quorum confessionibus nullus de primariis istius nefarii consilii auctoribus, ne vel minimæ dubitationi, relinquebatur locus. Metu mortis, vi legum infligendæ, consternatus Comes, Cottonum consuluit, quibus technis, sive coram Consiliariis, horribile hoc arcanum severo examine exploraturis, sive ad judicium vocatus coram tribunali, sese a crimine impacto meliuscule exculparet. Ille vero, apud quem non tantum arcana animi sed capsulam quoque gemmis aureisque nummis ad valorem usque quadraginta mille librarum assurgentibus refertam, (tanta erat amicitiæ & fidei Cottonianæ fiducia) deposuit, ne amicum in maximis angustiis constitutum deseruisse videretur, acceptis literis ab Overburio ad ipsum scriptis, perspexit quippiam subsidii inde peti posse, si tempus, utpote omissum, in quo scriptæ erant, assignaretur: dein, cum a Somersetto, Regem ex misericordia erga famulum, quem nuperrime impendio amabat, de relaxanda capitis poena quippiam coram innuisse, accepisset, respondit, chartarum, quas Gulielmo Wickamo, Episcopo Wintoniensi, & Cardinali Wolsæo de homicidiis, aliisque capitalibus criminibus remittendis olim concesserunt RR. Ricardus II. & Henricus VIII. apographa apud se exstare; monuitque ejusmodi chartam *pardonationis*, ut barbara voce forensi utar, si salvus esse voluerit, necessario impetrandam: quam, illo facile annuente, mox curavit conscribendam. De colloquiis, quæ celari non poterant, cum Somersetto habitis, Cottonus coram Consiliariis comparere jussus, nihil eorum, quæ aut dixerit aut fecerit rogatu Comitis, qui rem quoque ita se habuisse interposita fide asseveravit, voluit subticendum. Cum vero res mali exempli esse videretur, tanti sceleris manifestum consilio juvisse, Cottonum dimittere nolebant; nec tamen volebant in carcerem dare, ideo in mitiorem sententiam inclinantes, decreverunt, illum D. Barkleamo, Senatori Londinensi, in custodiam committendum esse: in cujus ædibus per quinque menses detentus, tandem post judicium a Paribus regni adversus Comitem & Comitissam in foro Westmonasteriensi latum, quod Rex postea remiserat, liberatur. Sane verus iste, quo erga Comitem ferebatur, affectus facile excusandus videbitur; nec quicquam inde bonæ existimationi & famæ Cottoni detractum Amici censuere, neque æqui rerum judices adhuc censebunt.

Non multo post clancularijs artibus subrepebat in lucem famosus libellus, in quo Rex ob male administratam Rempublicam acerrime perstringebatur, de quo cum suspectus fuisset Cottonus quasi nuperum dedecus hoc mordaci scripto ulturus, illum mox Rex ipse, omnesque boni, quibus ejus erga Regem pietas, fides, & obsequium, candidissimique mores, a convitiis & satyra alienissimi, innotuere, a ficto crimine absolverunt. Post triennium, (1619.) deprehensus auctor, Joannes Williams Cantianus, Jurisconsultus è medii Templi Collegio, læsæ majestatis postulatus, ad patibulum damnatur.

Nemo aut Regem integriore fide coluit, aut patriam, ejusque jura, privilegia, honorem, commodumve sinceriore affectu prosecutus est. Cottoni enim animus, malis affectibus vacuus, non auro, non muneribus, quibus plerique mortalium succumbunt, erat corrumpendus; non blanditiis aut præstigiis a proposito & amore veri ac recti dimovendus. Id quidem tristis & pudore suffusus sensit Comes Gondomarius, qui hisce artibus, quarum frequens est in aulis Principum usus, qua erat versutia, si quis unquam, maxime adsueverat. Ille autem [c] indiculo illorum, quos in Anglia apud Regem, apud Ordines regni, & apud populum gratia pollentes ad tuendas Hispanorum partes larga pecuniarum profusione allexerat, circa A. M. DC. XX. Madriti exhibito, Cottoni nomen apposuit, quasi mille libras Sterlingicas accepisset. Horribile hoc arcanum felici indicio nobilis Angli tunc temporis illic degentis, Cottono tandem innotuit, qui famæ, hac falsissima criminatione læsæ, vindicandæ cupidissimus, prout virum vere nobilem & probum decuit, publicam atrocis calumniæ & injuriæ sibi illatæ reparationem ab ipso Legato poposcit, & obtinuit quidem: ita tamen, ut istius fœdissimi erroris infamia ab illo, salva publici muneris, quod sustinuit, dignitate (si hæc frivola excusatione esset purgandus) in Secretarium derivaretur.

Cottono, licet Angliam satis amplum gloriæ theatrum habuerit, apud exteros non defuere amici & laudatores: quales erant, ut alios omittam, V. V. ingenio & eruditione præstantissimi, Janus Gruterus, Franciscus Sweertius, Andreas du Chesne, Joannes Bourdelotius, Petrus Puteanus, & maxime omnium, Nicolaus Fabricius Peireskius, qui post amicitiam cum Cottono & Camdeno, cum anno 1608. esset in Anglia, initam, utrosque omni honore indesinenter prosecutus est: atque iis ob codices transmissos, numismata, chartasque rariores benevole communicatas, se, si quisquam alius mortalium, devinctissimum crebris literis agnovit.

Inter amicos vero domi, præter eos, quos supra sparsim recensui, maxime familiares habuit Jac. Usserium Archiep. Armachanum, Henricum Bourchierum, Comitem Bathoniæ, Edwardum, Henr. & Jacobum Montacutios, fratres, & cognatos suos, illum Comitem Mancestriæ, istum Baronem de Boughton, hunc Episc. Winton. Joan. Dodderigium, Regii Banci Justitiarium, D. Joan. Davisium, Equitem auratum, Franciscum Tate, Davidem Powellum, Doctorem Theologum, Hugonem Hollandum, Arthurum Agardum, Vice-camerarium Scaccarii, Ricardum Carew Cornubiensem, Rogerum Doddesworthium Eboracensem, Gulielmum Burton Leicestrensem,

[c] *Vid. Rushworthi Collectanea tom.* I. *ad* A. 1620. *pag.* 20.

cestrensem, Gulielmum Lisle, & D. Jacobum Waræum, ut a reliquis singillatim recensendis abstineam, ne ostentationis vitio id mihi vertatur, quorum epistolas ad illum Anglice scriptas tandem aliquando edi curabo.

Sed dum firma vegetaque corporis constitutio vitam, affecta licet senectute, spondere videbatur, ex inopinato superveniebat violenta febris, nullis medicamentis, nulla arte expugnabilis. Non Medici soli, sed ipse Cottonus facile præsagiebat, mortem sibi prope instare; ideo citra moram, prout virum Christianum decuit, totus jam, abjecta omni productioris vitæ spe, rebus cœlestibus contemplandis intentus, reverendum Presbyterum, D. Oldisworthum, curat accersendum, ut solatia illa subsidiaque, quæ moribundis religio Christiana solet impertiri, illo rite ministrante, perciperet, & purgata per salutarem pœnitentiam & fidem in Christum Salvatorem suum anima, sacro Eucharistiæ viatico reficeretur. Licet enim erga quosdam, qui non in omnibus fidei Christianæ articulis, (novis utpote ex seculari typho & superstitione introductis) idem sensissent, animi esset moderatioris, & unum aut alterum è Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus colloquio & prandio interdum excipere dignaretur, illud charitatis vere Christianæ, hoc autem perpetui erga bonas literas amoris erat indicium. Hujus autem comitatis, præter bonam indolem a natura insitam exercendæ justissima suppetebat ratio. Angli [d] Benedictini, qui Duaci in collegio & Conventu S. Gregorii degebant, actis Ordinis sui conscribendis occupati, literis obsequii plenissimis impetrarunt, ut Leander de S. Martino, cujus verum nomen erat Joannes Jones, hac de causa in Angliam missus, antiquitatis monimenta, quorum nusquam aut major copia, aut melior delectus exstabat, in bibliotheca Cottoniana lustraret. Petitioni æquæ facilis annuebat Vir nobilissimus, qui thesaurum illum in publicos omnium usus collegerat, & Monachum istum placidissimis moribus, quibus se in gratiam illius insinuavit, & eruditione haud vulgari præditum, benevolo affectu complectebatur. Nec id aut famæ aut conscientiæ fraudi & præjudicio erat, quasi in fide Catholica, quam a matre Ecclesia Anglicana didicerat, vel minimum vacillasset; in cujus communione, uti animo optime informato antea constanter vixit, ita quoque per Dei gratiam pie decessurus.

Testamentum mox condit Cottonus, in quo, amplissima hæreditate, quam ipse a majoribus derivaverat, in filium unicum D. Thomam Cottonum, quem solum illius *Executorem*, ut Jurisconsulti loquuntur, constituit, jure patrimoniali transcripta, quantum humana prudentia prospicere potest, statuit cavetque, ut codices manuscripti, chartæ, reliquusque sacræ antiquitatis apparatus, quem magnis impensis nec minori industria per quadraginta annos collegerat, eidem D. Thomæ, & post illum, D. Joanni nepoti, quem expressim nominat, puero tum decenni, de qua optimam spem conceperat avus, & deinde hæredibus suis, recta serie succedentibus, in peculium familiæ Cottonianæ nullo modo distrahendum, in omne ævum cedant.

Post biduum, ingravescente morbo, *viz.* sexto die Maii, A. Ch. M. DC. XXXI. postquam tres menses, pauculosque dies, supra sexaginta annos complevisset, in ædibus suis Westmonasteriensibus pie in Christo animam efflavit. Hujus mortem tanquam immaturam & ipsis literis fatalem omnes luxerunt boni; sed luctu in virtutum Cottonianarum amorem & admirationem tandem converso, Patriæ hoc insignissimum decus & felicitatem gratulati sunt, quod in hac effœta mundi senecta Cottonum protulisset, Virum non solius Angliæ, sed totius Reipublicæ literariæ commodo natum, Virum omnium seculorum memoria perquam dignissimum; cujus laudes & merita nulla ætas aut deteret aut silebit, sed quæ, dum suus literis constabit honos, & quamdiu antiqnitatis & historiæ Anglicanæ amor & studium vigebunt, usque & usque propagabuntur.

Corpus, solenni pompa, splendidis natalibus & dignitati cougrua, amicis extra Urbem comitantibus, elatum, in australi Ecclesiæ de Conington capella, prout ipse in ultimis tabellis statuerat, sepeliendum curarunt lectissima fœmina conjux Elisabetha, una ex filialibus & cohæredibus amplissimi Viri, Gulielmi Brocasi Armigeri, de Thedingworth in comitatu Leicestriensi, & filius; ibique monimentum posuerunt cum hac epigraphe:

ROBERTUS COTTONUS MILES ET BARONETTUS, DOMINUS HUJUS MANERII DE CONINGTON,
ANTIQUÆ ET NOBILIS FAMILIÆ BRUCEORUM, EJUSDEM MANERII DOMINORUM, PER PARENTALEM SUCCESSIONEM HÆRES:
SAGACISSIMUS ANTIQUITATUM HUJUS GENTIS INDAGATOR, ET CONSERVATOR NOTISSIMUS:
NATUS XXII. JANUARII M. D. LXX. DENTONIÆ:
OBIIT VI. DIE MAII M. DC. XXXI. IN DOMO SUA WESTMONASTERIENSI.
ET JUXTA HIC CONDITUR EXSPECTANS RESURRECTIONEM FELICEM.
COMMUNIS MUNDO SUPEREST ROGUS.

d *Hi VV. CLL. Cottonum, Camdenum, Spelmannum, & Seldenum de apostolatu & antiquitate Benedictinorum, qua a quibusdam istius ordinis æmulis in dubium vocabatur, circa id tempus consuluerunt; quorum testimonium & de hac lite unanimem sententiam, nominum subscriptionibus firmatam, refert Clemens Reynerius in sua historica disceptatione — Duaci A.* M DC XXVI. *impressa; cui ut majorem apud exteros conciliaret fidem & auctoritatem, illos in genere merito appellat* homines nobiles in rep. Angliæ, florentes divitiarum & honorum gloria; magis autem suspiciendos eruditionis laude & antiquitatum studiosa indagatione, toti Angliæ nobilissimos, *pag.* 202. *& deinde singulos peculiaribus elogiis seorsim cohonestat.*

FINIS.

BIBLIOTHECÆ
COTTONIANÆ
HISTORIA ET SYNOPSIS:

Scriptore *THOMA SMITHO*,

Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.



BIBLIOTHECÆ *COTTONIANÆ* HISTORIA ET SYNOPSIS:

Scriptore *THOMA SMITHO*, Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.

UM bibliotheca nobilissimi Cottoni, non solum apud nostrates Anglos, sed exteros quoque ingenio & eruditione præstantes, dudum inclaruerit, multaque de illa mihi occurrant enarranda, quæ in vita Fundatoris, ne series ista longiusculis digressionibus admixtis, ut ut non omnino abs re alienis, interturbaretur, ex industria & prudens omiserim, ea,qualia qualia sint, hic seorsim apponere consultius duxi: præmissa hac brevi ejusdem descriptione, tum ut harum rerum studiosis de hujus incomparabilis thesauri & dignitate & usu judicium certius meliusque constaret, tum ut illorum curiositati, qui amore erga rem antiquariam & historicam incenduntur, hisce in antecessum prælibatis, aliqua ex parte satisfieret.

Bibliothecam Cottonianam omni fama & opinione de ipsa tum in Britanniis nostris, tum alibi terrarum, sparsa, plane superiorem esse, ex sequente codicum manuscriptorum catalogo cuivis Lectori curioso, qui de eorundem usu & præstantia recte judicare novit, erit compertissimum: quorum partem præcipuam ex monimentis Saxonicis, Ecclesiarum & Monasteriorum chartulariis, ex vitis & passionibus Sanctorum, ex tabulis familiarum nobilium genealogicis, ex Annalibus, Chronicis, & Historiis Angliæ, & denique ex Actis publicis regni tam de sacra quam civili rerum administratione constare pariter liquet: cum cæteri codices, *viz*. Græci, Arabici, Classicique Latini, & Theologici, qui, tanquam tot gemmæ chlamydi purpureæ intextæ, novum, eumque fortem, splendorem affundunt, numero pauci sint, si cum illorum copia conferantur. Neque enim Cottonus universalem bibliothecam condere sibi proposuit; præcipuum autem, ne dicam unicum, libros & instrumenta, quæ ad patriarum antiquitatum illustrationem quoquo modo conducere videbantur, comparandi studium erat, non iis tamen interim, qui sese felici casu obtulerint, quantivis pretii & summæ antiquitatis, licet longe diversi argumenti, susque deque habitis. Unde vero & a quibus reliquias istas, ex horrenda domorum Virorum Religiosorum strage sub R. Henrico VIII. fataliter inducta servatas, comparaverit, & tanquam a misera & deploranda captivitate redemptum iverit, illud statuere omnino incertissimum est. Quod si quispiam animo fingat, illas olim ad D. Thomæ Cromwelli, Visitatoris generalis, & postea Comitis Essexiani,cui odiosum munus visitandi Monasteria imprimis commissum erat, hæredes pertinuisse, hariolationi habeo quod juste opponam, tum quod omni traditione, quæ in rebus dubiis incertisque, cum cætera documenta desint, vim quandam & auctoritatem ad fidem conciliandam habere solet, destituatur, tum quod Cottonus bibliothecam suam non adeo facili compendio instruxerit. Si ita sapuissent hujus sacri thesauri violatores, antiquorum temporum historiam longe integriorem haberemus, nec tot illustres Auctores, quorum sola nuda

nomina

nomina ſuperſunt, aut flammis abſumptos, aut irreparabili damno perditos, hodie deſideraremus. Sive enim odio adverſus ſuperſtitioſum Monachorum cultum animati, ſive ex falſa malaque opinione concepta, illorum labores & vigilias in illa nova literarum, qua Anglia illuſtrari tum cæpiſſet, luce, diſſipatis nimirum, per invectam cultiorem ingeniorum diſciplinam, barbarie & ignorantia, quibus mores animique hominum feralem in modum nuperrime opplerentur, vix uſui fore, nihilque bonæ frugis inibi ineſſe, longe opimiori prædæ, puto auro, argento, vaſis, veſtimentis, reliquæque pretioſæ ſupellectili, & potiſſimum latifundiis inhiantes, libros tanquam nullius valoris reculas, mercemque frivolam & in cenſu ſcrutorum reponendam, cum faſtidio rejecerunt, & viliſſimæ plebi demulcendæ, non aliter quippiam è ſpoliis percepturæ, offam inſipidam, objectarunt.

Tantæ ruinæ, per univerſam Angliam ubique diſperſæ, non uno in loco jacere potuerunt: nec res iſtæ tam male habitæ, cum earum dignitas & pretium ab indoctis ſacrilegiſque raptoribus, quorum in manus ceſſerant, ignorarentur, priſtinum cito recuperarunt ſplendorem. Longe majoris erat molis Cottono magnificum iſtud opus, quod ab ipſa prima juventute inchoaverat, perficere, utpote non niſi quadraginta annorum & amplius ſpatio abſolvendum. Neque enim ab imis fundamentis ad faſtigium, quod feliciſſime impoſuit Senex, tam ſubito, quod aliqui ſomniant, ſurgebat. Multa exſpectatione & patientia opus erat, artificum officinæ, & ruſticorum tuguriola, ſimileſque latebræ erant luſtrandæ; nullus labor ſubtrahendus; nulla induſtria, nulli ſumptus in hac exquiſitiſſima, quam præ ſe ferebat, indagine parcendi; imo tanta vis pecuniarum in iſtis mercibus coemendis impenſa, & quaſi cum gaudio & exultatione profuſa, ut aliqui crediderint, licet falſo & male (ut nobiliſſimus D. Joannnes Cottonus, tanto Avo & Patre digniſſimus Nepos & Filius, pluſquam ſemel coram fide data teſtatus eſt) illum non modicam partem patrimonii hac de cauſa vendidiſſe, ac ſi publicum patriæ & literarum commodum rei familiaris detrimento prætuliſſet. Amici autem hoc propoſitum laudarunt, & mirati ſunt; gnarique neminem aut digniorem, cui ſymbolas ſuas conferrent, reperiri potuiſſe, aut magis harum antiquitatum intelligentem, apud quem, ſi vetuſti codices, unus aut alter, apud ſe eſſent, aut in ipſorum manus forte fortuna incidiſſent, melius aut tutius deponerentur, uti aquarum profluentes, a diverſis fonticulis orti, diductis canaliculis in alveum magni fluminis derivantur, ejuſmodi donaria certatim illo tranſmiſere. Quo modo de Cottono, de illius bibliotheca, de patria, de bonis literis, Viri titulis, dignitate, & eruditione vere magni, Franciſcus Comes Bedfordiæ, Franciſcus Baconus, Baro Verulamius, & Vice-comes S. Albani, Cancellarius Angliæ, Gulielmus Lambardus, Thomas Talbottus, Joannes Dee, Thomas Allenus Oxonienſis, Arthurus Agardus, aliique, quorum benevolentiam in V. Cl. amicum ſuum, ſi quippiam in codicibus annotatum reperi, plerumque memorare curæ mihi fuit, bene mereri & voluptati & honori duxerunt. Acceſſit ingens Auctarium ex legato Viri optimi, Gulielmi Camdeni, qui codices ſuos manu exaratos (additis quoque codicibus ſcriptis Viri clariſſimi & in profeſſione ſua peritiſſimi, Nicolai Caroli, Heraldi titulo Lancaſtrienſis, quos numeratis nonaginta libris Sterlingicis novennio ante mortem comparavit) æternæ Cottoniani & ſui nominis memoriæ, & imperii Britannici gloriæ, jam corona beatæ immortalitatis, poſt exercitatos pietatis & vitæ perquam laudabiliter actæ agonas, a ſummo Brabeuta donandus, in armario iſto conſecravit. Nec aliis Viris clariſſimis, poſt obitum D. Fundatoris, potior locus viſus eſt, quo codices MSS. cognati argumenti in uſus publicos in omne ævum ſervarentur. In ſequioris ævi bene merentium cenſu maxime memorandus venit Vir nobiliſſimus D. Chriſtophorus Hattonus, olim Regii hoſpitii contrarotulator, ob ſummas virtutes, ſapientiam, & fidem Carolo I. Regi optimo, & pientiſſimo, flagrante Schiſmaticorum rebellione, præſtitam ad titulum, honorem, & dignitatem Baronis de Kirkby in comitatu Northamptonienſi evectus, (quam poſt immane paricidium, R. Carolo II. in Galliis exul, & reſtituta Monarchia redux, integram & intemeratam ſervavit) qui ſex aut ſeptem Monaſteriorum regiſtra perquam liberali animo dono dedit.

I. *Codices Lingua Anglo-Saxonica ſcripti.*

Quod reliquuum erat codicum, chartarum, & ejuſmodi monimentorum gentis Saxonicæ ex horrenda illa ſacrarum ædium ſtrage, quam fecerant Dani, qui, nondum emollita per mitiſſimam Chriſtianæ religionis diſciplinam innata feritate, non ſolum Angliæ oras mari finitimas continuis in terram exſcenſionibus infeſtarunt, ſed in mediterraneas provincias irrumpentes, urbes & agros inaudita ſævitie, incendiis, & ferro populati ſunt, Normannos id omne, quantum quantillumque fuerit, intactum integrumque ſervaſſe pluſquam veriſimile videtur. Sive enim ex conſcientia religionis, ſive ex prudentiæ politicæ dictatis, ne ſceleſtus & ſacrilegus haberetur, id fecerit R. Gulielmus I. ut Eccleſiaſticorum animos ad fidem hac ſimulata pietate & benevolo erga ipſos affectu & benevolentia dandam inclinaret, dum univerſam Angliam, ſui peculii jure belli factam, inter Milites ſub certis conditionibus a ſe, tanquam ſupremo Domino, tenendam, pro ratione meritorum titulorumque, quibus gaudebant, partitus eſt, a Præſulum Monachorumque prædiis diripiendis manus pleraque ex parte, licet ea quoque iiſdem oneribus ſubjiceret, abſtinebat. Ubique abſoluti dominii apparebant indicia: conſuetudines Normannicæ pro legibus habitæ; leges lingua Gallica conſcriptæ; inque eadem lites forenſes diſceptatæ; quam, licet ſub R. Edwardo, ex Emma, Ricardi Ducis Normannorum filia apud quos diu a patria extorris vixerat, nato, in uſu & honore apud Aulicos, illam nimis ex laſcivia effectantes, eſſe cæpiſſet, jam ediſcendi,

ediſcendi, eamque pueros, ab illorum infantia docendi triſtis neceſſitas victis incubuit. Sed, quod ex exſtantibus apparet, chartis donationum, libriſque, ſive ſacris, ſive quibus iſtorum temporum doctrina continebatur, in Eccleſiarum Cathedralium & Cœnobiorum archivis parcitum erat. Veruntamen longe triſtius magiſque deplorandum ſatum ſubiere, regnante R. Henrico VIII. hæ ſacræ antiquitatis reliquiæ, quæ, (ut antea dictum repetere cogor) ſacrilegorum hominum ludibrium & præda factæ, tanquam Abſyrti membra jacebant diſcerptæ, aut inſtar foliorum Sibyllæ ventis difflandæ exponebantur. Paucas ex tam fatali naufragio ſubductas tabulas colligendi laborem, ſanctiſſimo illo, quod in Eccleſia Anglicana adeptus eſt, munere perquam digniſſimum, pro ſapientia ſua cenſuit Vir omni elogio major, Matthæus Parkerus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui eas (uti & multos alios præclaros codices MSS.) perenne tam ſuæ erga Academiam Cantabrigienſem, & Collegium Corporis Chriſti, cujus olim fuiſſet Præfectus, benevolentiæ, quam Saxonicorum majorum pietatis monimentum, tum in illius publica, tum hujus privata bibliotheca reponi curavit. Ita ante illum, quaſi iſtius primæ ſedis Antiſtitibus non ſolum de Eccleſia, ſed de Academiis optime mereri peculiare eſſet, Gulielmus Warhamus rariſſimos quoſdam Græcos codices, ab iſtius gentis Præſulibus aliiſque Viris eruditis, poſt expugnatam Conſtantinopolin in Angliam appellentibus, pretio comparatos ab interitu vindicaturus, bibliothecæ magnifici Collegii, quod *Novum* appellatur, in Oxonio donavit. Ita Gulielmus Laudus, cujus memoria apud Oxonienſes in æternum ſacrabitur, bibliothecam Bodleianam libris, Græcis, Latinis, Saxonicis, Orientalibus, aliiſque ſupra mille & trecentos munificentiſſime auxit. Sed poſt iſtam Vindemiam reverendiſſimi Parkeri, racemationes amplæ, ne dicam uberiores, Cottoni diligentiæ relinquebantur colligendæ: & ſuave inſomnium ac figmento ſimile haberetur, iſtam ingentem præclariſſimorum codicum copiam reperiri potuiſſe, niſi in feliciſſimæ induſtriæ argumentum, quod ipſis oculis ingeritur, hodie in loculis diſpoſiti in Bibliotheca Cottoniana exſtarent. Horum catalogus, mutilus quidem è vitioſo Apographo depromptus, (uti & aliorum Saxonicorum librorum, qui in utriuſque Academiæ & Eccleſiarum Cathedralium in Anglia bibliothecis ſervati hodie ſuperſunt) exſtat in appendice Grammaticæ Anglo-Saxonicæ & Mœſo-Gothicæ Viri reverendi & doctiſſimi, Georgii Hickeſii, S. Theologiæ Doctoris, & Eccleſiæ Wigornienſis Decani, cui poſt viros eruditiſſimos, Gulielmum Somnerum, Franciſcum Junium, & Thomam Mareſchallum, linguæ Saxonicæ cultura maxime debetur. Illum vero longe accuratiorem in publicam lucem dediſſet, ſi codices iſtos manibus tractaſſe, oculiſque inſpexiſſe contigiſſet. Sed dum Vir clariſſimus Londinum ſe contulit, huic contexendo perquam ſedulam diligentemque operam navaturus, rure aberat nobiliſſimus Cottonus: adeoque theſaurum iſtum, cum diuturniorem in Urbe moram negotia ſacra, quibus erat obſequendum, non permiſerint, ne quidem oculis libare potuit, re, quam unice in votis habebat, infecta, reverti coactus, non ſine magno doloris ſenſu, quod iter iſtud adeo inauſpicato ceſſiſſet: nec minus ipſe doleo, mecumque dolebunt omnes literaturæ Anglo-Saxonicæ ſtudioſi & amantes, quod propter rerum viciſſitudinem ipſo adjutore hac ex parte utiliſſimo uti non liceret. Ex his vero vetuſtiores & curioſiſſimos, quod de cæteris quoque inſignioris notæ libris ſub ſuis titulis, quos ſupra enumeravi, comprehenſis intelligi velim, paulo amplius deſcribam, exſcriptis ſubinde periochis, quæ ad horum codicum auctoritatem & uſum in re literaria ſtabiliendum quoquo modo conducere videbuntur, ut Lectoris mentem, nudis aridiſque titulis in indicem relatis parum aut vix acquieſcentem, jam inde majori delectatione perfuſam, non prorſum inutilibus documentis ſubminiſtratis, ad penitiorem harum rerum indagationem fortius & efficacius exſtimulem.

Maxime & primo in loco [a] memorandus venit tum ob ſacri argumenti majeſtatem, tum ob venerandam, quam præ ſe fert certis indiciis & probationibus, antiquitatem, codex Evangeliorum, interlineata verſione Saxonica illuſtratus; de quo licet Viri ſummi, Joannes [b] Seldenus & [c] Thomas Mareſchallus fuſe egerunt, dum iſtas membranas frequenti & ſedula manu volvo revolvoque, non poſſum mihi temperare, quin hic quoque eadem repetam, quibuſdam tamen ex induſtria ſuperadditis, ut inde totius venerandi codicis conſpectus Lectori longe exploratior appareat.

Textum propria manu deſcripſit S. Ealdfridus, quando monachus erat, adhuc ſuperſtite S. Cuthberto, qui, juxta [d] Auctorem Chronici Saxonici, in Epiſcopum Landisſarnenſis Eccleſiæ conſecrabatur a Theodoro, Archiepiſcopo Cantuarienſi, A. C. DC. LXXXV. cui poſt triennium circiter in iſta ſede ſucceſſit. Dein ſacri illius operis amore captus, Ethelwaldus ex eodem Cœnobio, ſupparis ætatis Monachus, qui ad eandem ſedem circa A. DCC. XXI. promotus, [e] anno DCC. XXXVII. deceſſit, ab exteriore parte gemmis & auro, intus vero teſſellatis delineationibus, picturis Evangeliſtarum, inſigni politura, reliquoque divite apparatu perornari curavit, uſus opera Bilfridi Anachoretæ, iſtarum artium, prout iſta ferebant tempora, peritiſſimi. Tandem ad egregium illud opus complendum, ut Monachis & populo non ſoli admirationi, ſed uſui eſſe poſſet, verſionem in lingua vernacula interpoſuit Aldredus, qui ſe pro humilitate ſua *Presbyterum indignum & peccatorem miſerrimum* nuncupat; qui hæc omnia Saxonice ſua manu teſtatus eſt: cujus nomini ex adverſo apponuntur in margine hi rhythmi, antiqua ſane, ſi non ipſius, ſcriptura:

a *Nero* D. IV. b *In præfat. ad Hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptores* Londini *editos* A. 1652. *pag.* 25. c *In obſervat. in verſionem Saxonicam Evangeliorum, pag.* 491, 492. d *Edit.* Oxon. 1692. *p.* 45. e *pag.* 54.

Ælfredi natus Aldredus vocor,
Bonæ mulieris filius eximius loquor.

Ad finem vero Saxonicorum reperiuntur verba hæc, Saxonicis characteribus exarata, *Eadfrith, Oethilwald, Bilfrith, Aldred hoc Evangelium Deo & Cythberhto construxerunt & ornaverunt.* Consona his, utpote ut credere plane oportet, inde desumpta, habentur apud Simeonem Dunelmensem, (sive potius Turgotum, ut optime probat D. Seldenus) in Historia Dunelmensis Ecclesiæ lib. II. cap. XI. [f] cujus verba cum gratia curiosi Lectoris hic apponam — *Qua tempestate dum navis,* (quam nimirum Monachi Lindisfarnenses conscenderant ad evitandos barbarorum hostium insultus) *verteretur in latera, cadens ex ea textus Evangelicus, auro & gemmis perornatus, in maris ferebatur profunda* .... & cap. XII. *Pergentes ad mare, multo quam consueverat, longius recessisse conspiciunt, & tribus vel eo amplius milliariis gradientes, ipsum sanctum Evangeliorum codicem reperiunt, qui ita forinsecus gemmis & auro sui decorem, ita intrinsecus literis & foliis priorem præferebat pulchritudinem, ac si ab aqua minime tactus fuisset.* Deinde sequitur: *Liber memoratus in hac Ecclesia, quæ corpus istius sancti Patris habere meruit, usque hodie servatur, in quo nullum omnino, ut diximus, per aquam læsionis signum monstratur. Quod plane & ipsius S. Cuthberti & ipsorum quoque meritis, qui ipsius libri auctores extiterant, gestum creditur; Eadfridi videlicet venerandæ memoriæ Episcopi, qui hunc in honorem B. Cuthberti manu propria scripserat, successoris quoque ejusdem, Venerabilis Ethelwaldi; qui auro gemmisque perornari jusserat; S. etiam Bilfridi Anachoritæ, qui vota jubentis manu artifici prosecutus, egregium opus composuerat. Erat enim aurificis arte præcipuus. Hi pariter amore dilecti Deo Confessoris, & Pontificis ferventes, suam erga ipsum devotionem posteris omnibus innotescendam hoc opere reliquerunt.* Ex quibus verbis, quod Vir doctissimus, D. Ricardus Jamesius, de hac bibliotheca bene meritus, primo, & post illum D. Seldenus, observarunt, clarissime liquet, vel illum ipsum librum, in bibliotheca Cottoniana servatum, [g] de quo miraculum istud, quod nempe recedente solito longius æstu, nudato littore, repertus, ne minimum quidem detrimentum, aut læsionem ab aquis marinis, in quibus demergebatur, passus fuerit, in hac aliisque Ecclesiæ Dunelmensis historiis enarratur.

Præmittuntur supra memoratæ narrationi ab Aldredo factæ, nimirum in ultima pagina libri ad finem Evangelii S. Joannis, hæc verba, inserta quoque versione Saxonica, distinctis lineis:

Trinus & unus Deus Evangelium hoc ante sæcula constituit.
Matthaeus ex ore Christi scripsit.
Marcus ex ore Petri scripsit.
Lucas de ore Pauli Apostoli scripsit.
Joannes in prochemio deinde eructavit verbum, Deo donante & Spiritu sancto scripsit.

In margine versus hi apponuntur vetusta manu

Litera me pandat, sermonis fida ministra,
Omnes alme meos fratres voce saluta,

quorum alter claudicat ob defectum dictionis monosyllabæ *hos* post *meos*, aut ejusmodi.

Sed de conditoribus hujus libri satis; jam de ipso libro & præfationibus, quibus interpretatio Aldredi Saxonica apponitur, pauca dicam.

Picturæ Evangelistarum propriis Evangeliis præfiguntur, cum symbolicis imaginibus *hominis, leonis, vituli,* & *aquilæ*, quibus ab antiquis scriptoribus, allusione ad narrationes unicuique peculiares facta, solent repræsentari, in superiori parte imminentibus. Horum nominibus ad testandam reverentiam, illorum memoriæ debitam, præponitur Ο ΑΓΙΟΣ: Sed figuræ istæ plane rudes videbuntur si cum hodiernis conferantur, utpote nitore, elegantia, & symmetria vacuæ; arte pingendi non ita isthoc tempore exculta, licet in membranis poliendis, literarum ductibus efformandis, & scripturæ pulchritudine vel politissimis sæculis haud impares Anglo-Saxones censeri possint.

Præmittuntur

1. Prologus decem tabularum Canonum.
2. Præfatio S. Hieronymi.
3. Præfatio Eusebii, sive Epistola illius ad Carpianum scripta, de usu istorum Canonum, quos composuit juxta harmoniam Ammonii Alexandrini.
4. Decem tabulæ Canonum Evangeliorum accuratissime & elegantissime elaboratæ, quorum ope Evangelistarum ὁμοφωνία ostenditur,
5. Argumenta & capitula lectionum, *i.e.* singula Evangeliis, ad quæ spectant, seorsim, suis nimirum in locis, præfixa: quorum S. Matthæus habet LXXXV. S. Marcus XLIII. S. Lucas XCIV. S. Joannes XLII. In margine sacri textus apponuntur numeri lectionum recta & ordinata serie, cum adnotatione lectionum concordantium in cæteris Evangeliis, juxta normam tabularum Canonum.
6. Indices dierum festorum suis Evangeliis præfixi, quando peculiaribus officiis & Missis celebratis quælibet Evangelii periocha, istis solennitatibus congrua, legi debet.

Ad finem Evangelii S. Lucæ occurrunt hæc verba, *Explicit Evangelium secundum Lucanum. Lucas* enim compendii causa in familiari conversatione contractum videtur pro *Lucano*, quod de reliquis nominibus ejusdem formæ, quæ in N. T. occurrunt, puta Dema, Sila, Epaphra, aliisque, uti olim observavi, non improbabili conjectura dici possit. Auctoritas sane libri ante mille annos descripti hac ex parte non omnino aspernanda: nec diversus iste scribendi modus Librarii aut festinationi aut male conceptæ opinioni, sed cuidam traditioni, quæ tum obtinuit, videtur adscribendus. In aliis quoque codicibus Evangeliorum magnæ vetustatis, nomen illius Evangelistæ eodem modo plene & producte exaratum, tum in bibliotheca Augustin-

[f] *Titus A. II.* [g] *Olim erat in peculio V. C. Roberti Bowyer, Clerici Parlamentorum regnante R. Jacobo I. Ex hoc codice versionem Saxonicam orationis Dominicæ edidit G. Camdenus in reliquiis Britannicis, capite de linguis.*

anorum

morum Neapoli, tum in Bobiensi se vidisse memorat D. Mabillonus [h] in accuratissima itineris Italici descriptione. Sane quotquot justum veterrimis libris pretium statuere norunt, inclytissimum Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ monimentum, ob augustam speciem & celebritatem, ante tot sæcula notissimam maxime venerandum jure merito dixerint.

Accedit alius codex venerabilis, [i] ætate non multo inferior, *viz.* Psalterium Davidis, ut videtur, Romanum, cum versione interlineari Saxonica: cui ad majorem tum ornatum tum utilitatem multa præmittuntur, & ad finem apponuntur, (quod in cæteris quoque exemplaribus fieri consuevit) quæ istorum temporum pietatem, diligentiam, & qualemqualem eruditionem, ut istiusmodi subsidiis, tanquam tot substratis gradibus, ad meliorem divini illius libri intelligentiam facilius perveniretur, clare ostendunt. Horum autem catalogum cum brevi specimine hic apponam. Præmittuntur

1. Præfatio de utilitate Psalmorum.

2. Epistola Damasi Papæ, ad Hieronymum Presbyterum missa V. Kal. Novembres, Hierosolyma, cum versibus ejusdem, quorum initium:

Nunc Damasi monitis aures præbete benignas,
Sordibus expositis purgant penetralia cordis.

3. Epistola Hieronymi Presbyteri, cum ejusdem versibus, quorum initium:

Psallere qui docuit dulci modulamine Sanctos,
Noverat iste decem legis quæ verba dedisset.

4. Origo Psalmorum, & eorundem divisio in quinque libros.

5. Expositio vocabuli *Alleluia* apud Hebræos, Chaldæos, Syros, & Latinos.

6. Interpretatio Psalmi CXVIII. per singulas Alphabeti literas.

7. Psalmi, quando psalli vel legi debeant: ex S. Hieronymo.

8. De literis Hebræis, quæ in Psalterio scriptæ sunt: ex S. Hieronymo.

9. Interpretatio Psalmorum; *h.e.* mystica eorundem, præcipue ad Christum, applicatio, *viz.*

Psalmus 1. ad Christi personam pertinet. *Ipse enim est vir rectus, qui nunquam abiit,* &c.

2. ad nativitatem Christi pertinet.

3. ad passionem Domini nostri Jesu Christi pertinet: & sic de cæteris.

Ad finem Psalterii adduntur, cum versione interposita Saxonica;

1. Psalmus Davidis extra numerum, cum pugnavit cum Golia.

2. Cantica veteris & novi Testamenti.

3. Tres hymni: *viz.*

1. Ad matutinos; cujus initium:

Splendor paternæ gloriæ,
Lucem de luce proferens,
Lux lucis, & fons luminis.

2. Ad Vespertinos; cujus initium:

Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem sopori gratia. Et

3. Diebus Dominicis; cujus initium:

Rex æterne Domine,
Rerum creator omnium,
Qui eras ante sæcula.
Semper cum Patre Filius.

Heic liber iste valde insignis & perantiquo charactere, fere ante mille annos exaratus, desinit. Ea vero, quæ sequuntur, additamenta, licet simul compacta, ad illum non pertinent; utpote non eodem charactere, neque eodem sæculo scripta: nempe

1. Hymnus alter ad matutinos diebus Dominicis: *viz. Te Deum laudamus,* cum versione interlineari Saxonica.

2. Symbolum Athanasianum, quod ibi appellatur *Fides Catholica,* cum versione interlineari Saxonica.

3. Oratio Eugenii, Toletani Episcopi, versibus, quorum initium:

Rex Deus, immense, [immensi] *quo constat machina mundi,*
Quod miser imploro, Tu, Christe, [per Christum] *perfice clemens.*

4. Confessio, sive Oratio ad Dominum, cum aliis orationibus.

5. Salutationes, sive Orationes ad crucem: quarum prima hoc modo incipit, *O sanctum & venerabile nostri Redemptoris lignum, ac Regis invictissimi triumphale vexillum,* &c.

Donatio antiqua Æthelbaldi, Regis Australium Saxonum, quam libro Psalmorum olim præpositam fuisse memorat D. Jamesius, una cum Psalmo primo & parte secundi, ab aliqua impia manu exscinditur.

De aliis Psalteriis, partibusque S. Scripturarum Saxonice conversis Lectorem ad catalogum remitto.

Liber Geneseos, cæteræque historiæ sacræ de gestis Mosis & Josuæ, [k] excerptæ, partim ex libris Mosaicis & libro Josuæ, & partim ex Josepho, Saxonice, cum figuris & brevibus scholiis & annotationibus, partim Latinis, partim Saxonicis ex Beda aliisque. Primum prologi folium jam abest, in quo nomen tum Interpretis, tum illustris Viri cujus rogatu opus istud erat susceptum, certissime proponebatur. Sed, quod ex mox dicendis patebit, Interpres ille erat Ælfricus, & Vir iste illustris Æthelweardus, Aldermannus sive Comes. Liber sane præclarissimus, & insignissimum tum isthoc ævo artis picturæ, tum diligentiæ & pietatis Anglo-Saxonum specimen. Aliqui volunt hanc esse paraphrasin Cædmonis ex male intellecta venerabilis [l] Bedæ mente, qui illum, quo tempore cujusdam villici esset famulus, arte canendi divinitus instructum, post relicto habitu sæculari, in Monasterio, quod dicitur [m] *Streanes-halb,* cura & hortatu [n] Hildæ Abbatissæ, inter Fratres admissum, *de creatione mundi, & origine humani ge-*

h Pag. 131. *In alio veterrimo codice Evangeliorum literis quadratis exarato Evangelium secundum Lucam inscribitur: quod in alio item Bobiensi legere meminimus.* i *Vespasianus* A. 1. k *Claudius* B. IV. l *Ecclesiastic. Histor. gentis Anglorum lib.* IV. cap. 24. m *Vide summi Viri, D. Thomæ Mareschalli observationes in versionem Evangeliorum Anglo-Saxonicam, pag.* 489. n *Illa obiit anno Dominicæ incarnationis* DC.LXXX.

neris, & tota Geneſeos hiſtoria, de egreſſu Iſrael ex Ægypto, & ingreſſu in terram repromiſſionis ceciniſſe: & de aliis plurimis ſacræ ſcripturæ hiſtoriis, de incarnatione Domini, ac paſſione, & reſurrectione, & aſcenſione in cœlum, de adventu Spiritus ſancti, & Apoſtolorum doctrina: item de terrore futuri judicii, & horrore pœnæ gehennalis, ac dulcedine regni cœleſtis multa carmina feciſſe dicit. Sane Joannes Treviſa in dialogo inter Patronum & Clericum, quem præfixit verſioni Polychronici Ranulphi Higdeni Ceſtrienſis, [o] inter eos, qui vertendis in Saxonicam linguam libris operam navarunt ſedulam, meminit Cædmonis Whitbeienſis.

Videtur ille Cædmon pro ratione iſtorum temporum culmen artis poeticæ attigiſſe ingenio in ſacris varii generis argumentis tractandis pie ac ſolerter occupato: utpote, ipſo Beda judice, carminis optimi & dulciſſimi conditor, quo animi eorum, qui recitationi publicæ intereſſent, aut qui poſtea legerent, ad ſtudium pietatis mirifice accenderentur. Equidem illum ſublimi ſtylo, verbiſque quaſi adſtrictis & prorſus figuratis conciſo & difficili uſum fuiſſe, ex illius poematiis, quæ clariſſimus Junius publici juris fecit, ſatis conſtat. Hæc autem huic paraphraſi, quæ a poeſi aliena eſt, & Auctorem ſacræ hiſtoriæ, non ſolum è divinis Scripturis, ſed aliunde ex hiſtoricis, qui illam, ſive ex ingenio ſive ex traditione, qualis præcipue fuit Joſephus, illuſtrare ſuſcepiſſent, petitæ, longe iſto monacho peritiorem, ſi cum editis conferatur, oſtendit, neutiquam conveniunt. Ælfricum autem Abbatem Malmesburienſem, qui poſtea erat Archiepiſcopus, (an vero Cantuarienſis, vel Eborac. ab altero diverſus, dubitatur,) fuiſſe Paraphraſten hunc, ut cum reverendiſſimo [p] Uſſerio Armachano credam, plane inducor. Ille enim Vir præclariſſimus, & de Ecclefia Anglo-Saxonica optime meritus, inter non paucos Scripturæ libros, quos vernacule in uſum popularium ſuorum, linguæ Latinæ imperitorum, ex verſione Latina Hieronymiana, ex qua omnes verſiones Anglo-Saxonicæ, qualeſcunqne habuerint auctores, prodiere, (penetralia enim linguarum Hebraicæ & Græcæ reliquis omnibus ævi Saxonici, ſi unicum fortaſſe excipiamus Bedam, videntur inacceſſa) interpretatus eſt; ſe librum Geneſeos quoque tranſtuliſſe, vel ſaltem illius partem ad nativitatem Iſaaci, ipſe non ſolum in præfatione, ſed in homilia de V. & N. Teſtamento, quam edidit V. Cl. Gulielmus Liſle A. C. M. DC. XXIII. teſtatur.

Non hic quiſpiam accuratam rigidamque & ſacrum textum in omnibus apicibus, ne dicam verſibus & periochis, quod fieri oportuit, exprimentem verſionem expectet: cum id ſibi vix propoſuiſſe videretur noſter Paraphraſtes; cui forte perſuaſum fuerat, ſe munere ſuo rite fungi poſſe, ſi inſigniores quaſdam periochas, licet non omnino ad verbum & literam, quoad ſenſum tamen, quantum dialectus iſta permittebat, brevi paraphraſi & gloſſa illuſtraret. Utinam vero clariſſimus Hickeſius, qui Ælfrici præfationem in codice Cottoniano mutilam, in codice autem Oxonienſi duobuſque Cantabrigienſibus repertam integram, [q] Latine vertit, opus iſtud paraphraſticum ſimul edidiſſet! Sed ut ab illo, qui optime potuit, id in præſenti exigamus, viciſſitudo rerum non patitur.

Ex hoc ſpecimine Lector de ingenti utilitate in remp. literariam redundatura, ſi quiſpiam, otio abundans, & hujus linguæ peritus, operam & induſtriam ſuam cæteris libris Saxonice exaratis verſandis addixerit, facile judicabit, quorum tanta eſt copia & ob argumentorum gravitatem dignitas, ut tum civilis tum Eccleſiaſtica gentis Anglorum hiſtoria non aliunde melius aut erui aut illuſtrari poſſit. Hinc enim, quod ex catalogo ſigillatim & fuſius patebit, reperire eſt chartas originales fundationis Monaſteriorum, & donationis fundorum, quos effuſa Regum magnatumque, antequam Normanni Angliam occupaverint, pietas largita eſt, cum privilegiis annexis, tum ne poſtea ab impiis & ſacrilegis temerarentur, tum ut Monachi, qui ſe totos Deo & ſeveris pietatis exercitationibus devoviſſent, a ſeculi vanitate & pompa abſtenti, ab omni moleſtia liberarentur; Conciliorum de Republica & Eccleſia rite ordinanda & adminiſtranda decreta & canonas; Sacramentaria, libroſque Liturgicos, integram divinorum officiorum, quæ in ſacro cultu peragendo ex ſapientiſſima Epiſcoporum inſtitutione & cura obtinuerunt, ſeriem continentes; Ritualia de conſecrandis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ſacro miniſterio addictis; Pœnitentialia, alioſque libros de diſciplina Eccleſiaſtica iſtorum temporum, tam ad dirigendos omnium mores, quam ad caſtigandos, ſiqui a Chriſtianæ religionis norma defeciſſent; & præcipue regulas Monachorum, & Monialium Ordinis S. Benedicti, inſtitutiones, & ad pietatem parænefes, homilias, orationes, & hymnos; vitas & paſſiones Sanctorum, quas tanquam ſacrum theſaurum aliqui ex Regibus Anglo-Saxonicis olim in peculio ſuo habuere; tractatus de cyclis Paſchalibus, cum variis Eccleſiaſtici computi appendicibus; hiſtorias, chronica, & annales de prima gentis origine, & ſucceſſionibus ſeculorum; modum conſecrandi ſive inaugurandi Reges, cum juriſjurandi, quo ad tuendum Eccleſiæ & populi jura erant adſtricti, formula; quorundam veterum Auctorum verſiones; Gloſſaria, & Grammaticalia non pauca; multa quoque ad naturalem hiſtoriam, præſertim ad rem herbariam, ſpectantia; exorciſmos denique, & ſuperſtitioſas quaſdam (in ejuſmodi enim errores vitio humanæ fragilitatis, & illicito aut futura præноſcendi aut mala depellendi deſiderio abrepti, præ laſcivia ingenii, inciderunt) de nativitatibus infantum, de tonitrubus, fulgure, aliiſque, hariolationes; præter Gloſſaria, Vocabularia, Dictionaria Anglo-Saxonica, & ingentem Collectaneorum Laurentii Noelli, Joannis Joſcelini,

o *Tiberius* D. VII. p *Hiſtoria Dogmatica de Scripturis & ſacris vernaculis Lond.* 1690. *p.* 129. q *Exſtat in Auctario hiſtoriæ Uſſerianæ Viri longe eruditiſſimi, D. Henrici Whartoni, cujus præmatura morte Reſpublica literaria damnum ingens, ne dicam irreparabile, paſſa eſt, pag.* 380.

Gulielmi

Gulielmi Lambardi, aliorumque ex monimentis Anglo-Saxonicis in Ecclesiarum Cathedralium & Collegiorum archivis & in privatorum museis quaquaversum per Angliam sparsis copiam, qui optima quæque & curiosa summo cum judicio excerpserunt. Ex hoc autem ditissimæ literariæ supellectilis Saxonicæ penu multa exscripserunt in publicam lucem edita, & diligenti collatione examinarunt Viri, æterna memoria digni, Rogerus Doddesworthus, Joannes Seldenus, Henricus Spelmannus, Gulielmus Insulanus, Jacobus Usserius, Franciscus Junius, qui bibliothecam Bodleianam incomparabili antiquitatum Borealium thesauro pro pietate in gentem nostram, quam, tanquam indigena, & vivus & moriens amavit, coluit, & suspexit, ultimis codicillis ditavit, Abrahamus Wheelocus, Gulielmus Somnerus, Gulielmus Dugdalus, aliique, qui bibliothecam Cottonianam & nobilissimos Cottonos, Avum Fundatorem, Filium, & Nepotem, ob egregiam humanitatem animique promptitudinem in hisce pretiosissimis ceimeliis in publicos literarum usus, citra fastum, morositatem, invidiam, metumve, quasi quippiam è pretio & dignitate frequenti alienæ manus tractatione delibaretur, communicandis, maximis elogiis, nullatenus tamen fidem exsuperantibus, celebrarunt. Horum omnium, quos memoravi, quibus ad hanc bibliothecam, tanquam esset singulorum propria, liber semper patebat accessus, licet obstupescenda fuerit diligentia; fere innumera tamen supersunt intacta & illibata, quæ Virorum eruditorum, qui pro genio hujus seculi antiquitatibus patriis investigandis eque tenebris multaque nocte in lucem diemque eruendis summo cum mentis ardore addicuntur, industriam jure merito requirant vindicentque. Neque hic consilium illud, cum id mihi hac de re serio deliberanti summa ratione niti videatur, quod Juvenibus quibusdam ingenuis ac bonæ indolis, quorum animi historiæ Anglicanæ amore & studio incenduntur, qui me in ædibus Cottonianis in Catalogo contexendo occupatum, bibliothecam videndi causa, adibant, inter alia dederam, propalare piget pudetque, ut si penitiorem nostrarum rerum, præsertim ante Normannorum adventum, cognitionem assequi voluerint, ante omnia & quasi fundamenti vice usum linguæ Anglo-Saxonicæ sibi familiarem reddant: aliter vix Antiquariorum censu reponendos; aliter nobilem historiæ Anglicanæ partem mancam fore, & plane desiderandam; ne tempora quidem Normannorum Angliæve statum, quando illorum præda & ludibrium fieret, omnino patefieri, nec se linguæ Anglo-Saxonicæ addiscendæ difficultates & angustias, quas tanquam tot spectra & terriculamenta timidiuscule objiciunt, absque injuria & ingrati animi nota causari posse, quibus tot subsidia & quasi manuductiones, quæ viam ad illius abditissima penetralia apertam, planam, ac facilem muniunt, ex D. Somnerii Dictionario, & D. Hickesii Grammatica suppeditantur.

II. *Chartularia Monasteriorum.*

Ad chartularia Monasteriorum procedo. Cum vero res Monasticæ non minimam, nec ignobilem quidem, historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ partem constituant, quibus ignoratis, ignorabuntur quoque istorum temporum, quæ ab istis pendent, gesta: Monasteriorum, Prioratuum, Hospitialium, & Cantariarum registra summo studio conquisita in bibliotheca sua reponi curavit Cottonus, utpote in quibus breviusculæ de Fundatoribus & Benefactoribus narrationes, & Calendaria, in quibus illorum dies mortuales signantur, non raro comparent; sed potissimum omnis generis chartæ, bullæ Pontificum, diplomata & epistolæ Regum, Magnatum, Episcoporum, aliorumque, & quicquid ad prædia, redditus, privilegia, jura, Ecclesiarum sive advocationes sive appropriationes, lites forenses, sacri cultus excercitia, disciplinæ regulas, rerumque administrationem, quomodo quisque in munere suo sese gerere debeat, spectat, multaque alia congeneris argumenti illic accuratissime describuntur.

Horum pretium, usum, dignitatem, & copiam probe norant Viri præstantissimi, huic provinciæ ornandæ peculiari genio, & mentis propensione, vel potius benigno Numine excitati, Rogerus Doddesworthus, & Gulielmus Dugdalus, qui in codicibus Cottonianis versandis, conferendis, exscribendis operam, eamque non brevi temporis curriculo finitam, nullo tœdio, difficultatibus nullis interrumpendam, sed assiduam, & indefessam, & pene supra humanarum virium modulum, nisi quod pertinacissimæ menti nihil sit impervium, impenderunt. Hoc abunde testatur *Monasticon Anglicanum*, tribus voluminibus comprehensum, quod non mediocrem è bibliotheca Cottoniana mutuatur splendorem. Testatur insignissimum istud D. Dugdali *de antiquitatibus comitatus Warwicensis* opus, aliique Adversariorum libri propria manu descripti, quos senex optimus pro benevolo, quo me per plures annos dignatus est, affectu mihi ostendit, & demum Museo Ashmoleano asservari voluit. Testantur quoque vastæ molis collectanea D. Doddesworthi (numerantur enim centum quinquaginta volumina, quibus bibliotheca Bodleiana merito superbit) qui, licet non integram omnibusque suis numeris absolutam Monasteriologiam, saltem tamen Borealem, aliorumque Antiquitatum syllogen, si per belli civilis incendia & furores licuisset, edere apud se constituerat. Hoc autem fatale est Viris magnis, qui grandia mente concipientes, ut nihil, quod cujuspiam sit momenti, omittere videantur, in materia colligenda maximam vegetioremque vitæ partem absumunt, donec senectus, ægritudo, cæteraque mala ab obstinata diligentia nullis refocillata laxamentis, imo mors ipsa eos, antequam ingentes observationum struices in debitam formam redigantur, ex improviso occupaverit. Testatur denique, ut alia præteream, disceptatio historica *de antiquitate Ordinis congregationisque Monachorum nigrorum S. Benedicti in regno Angliæ*, quam V. Cl. Clemens Reinerius, S. Theologiæ Professor, & ejusdem congregationis Secretarius, Duaci An. 1626. edidit: cujus operis præsidium ex scriptis instrumentisque

authenticis,

authenticis, quæ Leander a S. Martino, ejuſdem ordinis Monachus, in Angliam hac potiſſimum de cauſa miſſus, è codicibus Cottonianis collegerat, maxime pendet. In hac vero aurifodina adhuc latent venæ, hactenus inexploratæ, vel levi manu tactæ, quæ diligentiam eorum, qui hoc argumentum pro dignitate tractaturi ſunt, abunde compenſabunt.

Ad hæc Chartularia ſæpiſſime recurritur, ſi quæ lites de terris, quæ olim erant Monachorum, inter adverſarum partium patronos pendeant, illinc decidendæ. Epiſtolas plurimas inter ſchedas Cottonianas reperi, a Viris ampliſſimis & ſummæ dignitatis, quibus iſtiuſmodi prædia ſortito obtigere, hoc ſolo nomine ſcriptas, ut favore nobiliſſimi Poſſeſſoris illa mutuo acciperent: quorum venerandam antiquitatem & *αὐθεντίαν*, quando in foro Weſtmonaſterienſi producerentur, ipſi Judices & Jurati, qui juxta legum normam, litium forenſium, poſt adhibitum teſtium examen plenamque diſceptationem, a litigantium Advocatis peractam, ſunt arbitri, in cauſis maximi momenti agnoverunt, cum non aliud teſtimonium aut certius aut ſanctius exhiberi poſſet. Quorundam vero Chartulariorum, quæ hodie deſiderantur, jacturam utinam ex hac egregia humanitate & obvia morum comitate in præſens non lueret bibliotheca. Quod fortaſſe non Viris nobiliſſimis, quorum nominibus & famæ parco, ſed famulis & leguleiis inferioris ſubſellii, quorum opera in rebus forenſibus proſequendis utantur, quod adhuc apud ſe injuſte prorſus, ne dicam impie, detineantur, imputandum eſt.

Arcana vero Monaſteriorum in libris memorialibus, qui penes Abbates & Priores erant, quo muneribus ſuis illi, ad quos nimirum Monachorum regimen rerumque ſpiritualium & temporalium cura præcipue ſpectabant, melius fungerentur, quærenda ſunt: cujuſmodi ſunt liber [r] Abbatis S. Petri Weſtmonaſterienſis, ſive quarta pars libri *Conſuetudinarii*, ſive de variis obſervantiis, officiis, & conſuetudinibus ad Monachos Abbatiæ S. Petri Weſtmonaſterienſis ſpectantibus. Quæ pars, ut in fine libri additur, *a tribus aliis partibus idcirco ſeparatur, & per ſe jugiter in conclavi ponitur, quia ſecretiora noſtri ordinis in ipſa* [s] *continentur*: & Regiſtrum Henrici Prioris Monaſterii Chriſti Cantuarienſis, in quo plurima, quæ hiſtoriam Anglicanam & antiquitates illuſtrant, notatu digniſſima, a nemine deflorata, occurrunt: quorum titulos in catalogo, ad quem remittendus eſt curioſus Lector, appoſui. Infiniti enim eſſet laboris largos commentarios in codices bibliothecæ Cottonianæ ſcribere: neque otium, valetudo, aut hujus hiſtoricæ præfationis ratio & propoſitum, id ſinunt.

Ampla & generalis Monaſteriorum notitia hactenus deſideratur, quæ non ſolum nuda nomina Fundatorum & Benefactorum, tempus, quo condebantur, ſitum, fabricam, cenſum, quorum memoriis & honori dedicantur, & ad quos Religioſorum ordines pertinebant, continebit; ſed de vitis Fundatorum & illorum ſtirpe & progenie; de Abbatibus, Prioribus, Monachiſque, qui Eccleſiaſticis dignitatibus, eruditione, aut ſanctimonia inclaruere; quibus gradibus ad iſtam opum amplitudinem pervenerint; de variis, quas inter ſe, aut cum Præſulibus, reliquoque Clero ſeculari, aut cum Fratribus Mendicantibus agitabant, litibus; de regulis & conſtitutionibus, quo ſeculo, & quibus capitulis generalibus erant ordinatæ; de reformationibus, auctoritate ſive Regia, ſive Papali, introductis, aliiſque ejuſmodi ad rem Monaſticam quoquo modo ſpectantibus, fuſe aget: de quibus quamplurima hactenus intacta in codicibus Cottonianis reperiuntur. Quanta vero diligentia (utinam & pari veritate non enim negaverim illos pro fingendi libidine vera falſis commiſcuiſſe) res ſuas, Fundatorum geſta, munificentiam, pietatem, Abbatum etiam ac aliorum ſui inſtituti, ſive in iiſdem Conventibus ſive alibi degentium, vitas & merita, ne ipſis vel propriæ famæ deeſſe viderentur in acta referre ſoliti fuerint Monachi, teſtantur Calendaria, Obituaria, Regiſtra, & Catalogi, quorum duos, alterum ob antiquitatem, ob elegantiam & ſpecialem rerum adnotationem, alterum, Lectoris cum venia, tanquam ſpeciminis loco memorabo.

Exſtat liber antiquus, [t] ſi primam partem ſpectemus, Saxonicis characteribus exaratus, & qui R. Æthelſtani fuiſſe ex nomine, forte ipſius propria manu ſcripto, quod in ſumma pagina eſt, videtur, complectens catalogum Regum vel Ducum, Reginarum, Abbatiſſarum, Anachoretarum, Abbatum, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum Clericorum, Monachorum, aliorumque Benefactorum Eccleſiæ Dunelmenſis, pro quibus miſſæ aliaque ſacra officia olim peragerentur. Incipit autem a R. Edwino, qui primus Regum Northumbrorum ſacro lavacro abluebatur, & continua ſerie Benefactorum uſque ad tempora R. Henrici VIII. deducitur. Aliquorum ex his nomina characteribus aut aureis aut argenteis inſigniuntur.

Alter catalogus [u] eſt omnium eorum, qui in plenam fraternitatem Monaſterii S. Albani recepti erant: ut, ſicut in præfatione legitur, *ſint nobiſcum plene participes in miſſis, matutinis, horis, eleemoſynis, jejuniis, vigiliis, proceſſionibus, diſciplinis, orationibus ſolennibus & privatis, & omnibus aliis beneficiis, quæ fiunt in hoc Monaſterio ſive huic Eccleſiæ pertinentibus cellis noſtris* —— Ita nimirum iſtis artibus pro horrenda iſtorum temporum ſuperſtitione credulæ & miſeræ deluſæ gentis beneficentiam captabant Monachi. Continet autem catalogus iſte nomina

1. Regum & Reginarum, qui terras aut res pretioſas, & Paparum, qui privilegia contulerunt.

2. Abbatum a Willegodo, primo Abbate, ad Thomam Ramrygium, cujus ordinatione & cura confectus erat.

3. Priorum.

4. Fratrum, qui alibi facti ſunt Prælati.

5. Monachorum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Converſorum, Novitiorum,

r *Otho* C. XI. s *Galba* E. IV. t *Domitian.* VII. 2. u *Nero* D. VII.

Juvenum

Juvenum & Puerorum, ſicut per menſes obierunt.

6. Epiſcoporum, qui *nobis*, ut loquuntur, *aliqua contulerunt*.

7. Aliorum Benefactorum, qui tenementa aut terras don[illegible]; cum breviculis narrationibus hiſtoricis de iiſdem, & præcipuorum elegantiſſimis picturis. Tantæ autem celebritatis erat hoc Cœnobium apud noſtrates ob reverentiam & honorem, quo erga Protomartyris Angliæ memoriam ferebantur, ut illud inviſere non minima pars pietatis haberetur, nec Reges ipſi in eodem excipi aut pernoctare dedignati ſint: ſpeciatim vero de R. Henrici VI. & illius Reginæ apud ipſos mora ſuccincta illic habetur hiſtoriola.

Nullibi fortaſſe terrarum ant opimioribus reditibus aut ſplendidioribus ædibus iſtius inſtituti homines gaviſi ſunt, quam in Anglia. Hi quidem Magnatibus invidendi, & profeſſioni, quæ ſeculo ſolenni voto renunciaverat parum congrui videbantur; illæ cum palatiis regum comparandæ. Effuſiſſimam vero populi liberalitatem in eoſdem juſtiſſimis conſtitutionibus cohiberi, Reipublicæ, ne inde debito præſidio deſtitueretur, utile pro prudentia ſua Reges noſtri & Ordines regni per ſtatutum, quod dicitur *de mortua manu*, cenſuere. Nec injuria quidem: cum neceſſitatibus publicis non aliter eſſet ſubveniendum. Interim dum quod Deo dedicaſſent pii homines, integrum & inviolatum manſerit, nulla juſta Monachis aut doloris aut querelæ ſuppetebat occaſio. Poſtquam vero R. Henricus V. ſecundo regni anno (A.C. 1414.) prioratus *Alienigenarum*, ne bellum, opibus hinc in tranſmarinas regiones delatis, contra illum alerent hoſtes, hoſce occupaſſet; ingens ſollicitudo illorum animis non potuit non ineſſe, ne exemplum iſtud ſacri patrimonii diripiendi tandem aliquando in indigenarum Monachorum damnum traheretur. Id tantum auſus eſt, & ſolus potuit, R. Henricus VIII. intrepidi pectoris Princeps, qui jure regio per abrogatam Romani Pontificis, illius æquiſſimas petitiones vaferrimis artibus eludentis, juriſdictionem, cujus Monachi erant ſtrenui vindices, aſſerto, ædium religioſarum, quæ erant ad valorem CC. librarum infra A.D. 1536. ſitum & fundos in ſe primo transferri procuravit. Cæteræ autem omnes anno proxime inſequente eidem Regi conceſſæ erant. Facile enim credidit, id, conſentientibus regni Ordinibus, ſibi in publicos uſus, & ut populus, hoc fuco deliniendus, ab omni onere & vectigalibus deinceps liberaretur, licere, quod ex bulla & indulto Clementis VII. Papæ Cardinalis Wolſæus, dirutis pluſquam triginta Monaſteriis, illorum proventu duo magnifica collegia apud Oxonium & Ipſwicum extructa, ditaturus, [x] nuper fecerat. Opibus fere immenſis augebatur fiſcus Regius; quas tamen mox aut prodegit luxus, aut Aulicorum aliorumque, qui cuncta Regis arbitrio & libidini permiſere, intervertebant avaritia & rapina. Quo quiſque verſutia ac turpi obſequio cæteris emineret, eo opimiorem prædæ partem nactus eſt. Ædes autem iſtæ religioſæ, avitæ pietatis monumenta, omni apparatu nudatæ, aut ſolo æquatæ, nequa ſpes expulſis Monachis ad priſtinas ſedes redeundi relinqueretur, aut in Manſiones Laicorum, quibus in peculium ceſſerant, converſæ, ut majori cum faſtu & pompa iſthoc ſacrilegio fruerentur. Monachorum cauſam non ago; attamen ſive veris ſive fictis criminationibus laboraſſent, ſane res Deo ſub diris & anathemate devotæ, licet ſuperſtitioſi homines iis male uterentur, non ita debuerant abalienari.

Ne harum domorum memoria penitus intercideret, aliqui magni Viri, maleſanam ſuperſtitionem & ἐθελοθρησκείαν pariter ac ſacrilegam impietatem peroſi, diligentia ſua cavere. G. Camdenus in immortali & nunquam ſatis laudato quod *Britannia* inſcribitur, opere, Monaſteria, præcipue celebrioris notæ, in ſingulis fere comitatibus, recenſet, juſtis argumentis, ut conjecturam facere omnino oportet, animo convictus, ſe vix aliter accurati & fidelis Chorographi munus cum laude & decore impleturum, ſi ab illorum compendiaria deſcriptione abſtinuiſſet. Nec id curæ infra dignitatem & famam ipſius ſubſidere exiſtimavit ὁ θαυμάσιος Savilius, qui ſummæ in literis Græcis Scientiiſque Mathematicis peritiæ antiquitatum patriarum ſtudium, cujus luculentiſſimum argumentum in accuratiſſima Scriptorum hiſtoriæ Anglicanæ poſt Bedam editione habemus, adjungens, inter alia Sciagraphiam hiſtorici operis de Monaſteriis reliquit, incertum, an gravioribus ſtudiis impeditus, an quia aliis hoc argumentum tractaturis, & præſertim Joanni Speedo, laudem induſtriæ noluerit præripere, utpote publici commodi quam propriæ famæ longe ſtudioſior. Speedus autem generalem Angliæ hiſtoriam, quam a multis annis molitus fuerat, Anglice editurus, Monaſteriorum & Prioratuum catalogum, tanquam neceſſariam regni R. Henrici VIII. appendicem, cum antea non exſtaret, & res eſſet operoſæ indaginis, curioſis Lectoribus placiturum, & magno uſui fore recte judicavit. Ideo amicos & potiſſimum illuſtrem Cottonum conſuluit, ut, quod ex literis autographis mihi certiſſimum eſt, laboranti hac ex parte ſuppetias ferre vellent: nec illi quidem Viro diligentiſſimo defuere. [y] E bibliotheca ſua ſuppeditavit Cottonus exemplar authenticum, R. Henrico, ut videtur, regnante deſcriptum, cum hoc titulo: *Nomina omnium Monaſteriorum, Prioratuum, & aliarum domorum Religioſarum intra regnum Angliæ & Walliæ cum earum ſummis ſive valore*: quod utinam Speedus integrum edidiſſet. Nam cum valor cujuſlibet domus duplex occurrat, ſimul continua ſerie appoſitus & conjunctus, hoc modo, ut exemplo uno & altero res fiat manifeſtior,

Monaſterium de Croyland.
Summa inde, $1217^{l}. 5^{s}. 11^{d}$.
Summa clara, $1083^{l}. 15^{s}. 10^{d}$. *ob.*
Monaſterium de Abbendon,
Summa inde, $2042^{l}. 2^{s}. 8^{d}$. *ob. q.*
Summa clara, $1876^{l}. 10^{s}. 9^{d}$.

x *Anno* XVII. *R. Henrici* VIII. A. C. 1525. *& paulo poſt.* y *Cleopatra* E. IV.

ille

ille priorem summam, ex reditualibus surgentem, annotando recensuit, omissa altera in fiscum Regium, subductis pecuniis qualicunque de causa in alios usus reservatis,inferenda: prout quoque in officii primitiarum & decimarum ab illo tempore apud Londinum stabiliti registro comparet; quam vir optimus & doctissimus, G. Dugdalus in ejusdem catalogi accuratissimi, ex eodem codice Cottoniano desumpti, ad finem primi voluminis Monastici Anglicani, editione secutus est: indeque discrimen istud, quod intercedit de valore istarum domorum facile tollitur, & utriusque summa ex hac duplici ratione cum veritate concilianda est. Cætera vero ornamenta, quæ isti catalogo accedunt, *viz.* Nomina Fundatorum, Benefactorum, Sanctorum, quorum memoriis dedicantur, & ordinum Religiosorum, quorum olim erant, e VV. Cll. Joanne Stow, Gulielmo Camdeno, Roberto Cottono, Henrico Savilio, & fortasse ex excerptis è Collectaneis Lelandi per V. Cl. Gulielmum Burtonum, qui pretiosa ista cimelia bibliothecæ Bodleianæ postea donavit, transmissis, aliisque mutuatus est Speedus: ita tamen ut catalogi istius contexendi qualis qualis honos ipsius industriæ, subsidiis aliunde petitis fultæ, jure sit adscribendus. Hujus autem manes non sunt exagitandi, si in digerendis Monasteriis sub singulis Angliæ comitatibus alicubi aberraverit: cum id non semper ipsius oscitantiæ imputandum,cui ad manum non erat *Provinciarum notitia*, *Villare Anglicum*,aut ejusmodi locorum indices,sed schedis Commissariorum,qui in visitandis Religiosorum ædibus sub infelicissimis D. Cromwelli Visitatoris generalis auspiciis & ductu illaudabiliter occupati, de topographia parum soliciti videbantur. Siqua vero Monasteria, Prioratus, Hospitalia, Collegia, Cantariæ, & liberæ Capellæ, quorum apud vetustos scriptores aut apud Lelandum occurrit mentio, in isto catalogo omittantur, ea omnia ante istam inquisitionem factam diruta fuisse, aut tanquam cellas majoribus Monasteriis, ad quæ pertinebant, connumerata mihi plusquam verisimile videtur.

III. *Vitæ & Passiones Sanctorum & Martyrum.*

Inter spolia Monasteriorum, Biographica & Passionalia Sanctorum variis Linguis, *viz.* Latina, Anglo-Saxonica, Anglica vetere, pro variis nimirum, quas ab adventu Normannorum, in Anglia subiit, mutationibus, & Gallica, tam stricta quam prosa oratione exarata, tanta cura collegit Cottonus, ut vix alicubi aut majorem copiam aut curiosiorem delectum reperire liceat. Nam quod ad Græca Symeonis Metaphrastæ aliorumque Synaxaria spectat, illa, cum ne millesimus quidem Græce nosset, aut non omnino, aut saltem parcissime, nisi post expugnatam Constantinopolin, a Græcis advenis in Angliam invecta fuisse, a veritate non prorsus absonum videtur. In ejusmodi autem libris legendis & conscribendis Monachi erant maxime occupati. Imo si Antiquorum fidem in describendis Martyrum passionibus, & Confessorum reliquorumque utriusque sexus Sanctorum, strictiori regularis disciplinæ observantia & heroicis aut non ordinariæ pietatis exemplis, suis in seculis illustrium, vitis sibi imitandam proposuissent, neque fabulis diversi generis ad alendam plebis ex vitio & ignorantia seculi nimium quam credulæ superstitionem admistis, & non tam ad docendum quam ad fallendum compositis, assutisque figmentis è crasso ingenio prognatis veritatem corrupissent: ex ejusmodi diligentia ingentem fructum & istorum temporum historia & ipsa quoque religio tulissent. Dum vero Sanctis, quorum laudibus & famæ immoderato studio consulunt, mores a sobria pietate, sapientia, & decora gravitate quam maxime alienos, & absurda quæque & ridicula, quæ vix quispiam sani sincipitis admiserit, usque ad nauseam attribuant; hisce inficetis fabellis importune ingestis, hoc tantum lucrati sunt, ut etiam cum vera dixerint, ni præsidium aliunde suppetat, vix fidem mereantur. Si vero in hac luce literarum meliora edocti, vel pueri quinquennes, istiusmodi commenta derisui habeant, illorum sortis miserescere potius, quam in facilem istam εὐήθειαν & credulitatem, tantis delusionibus insomniisque, quæ audaculus quisque Monachus, aut pia fraude, aut ipse misere delusus, pro oraculis venditaverit, quasi fataliter obnoxiam, invehi decebit. Utcunque tamen vel rigidissimi Censores in universos promiscue Biographos non ista acritate animadverti oportere, sed in istis sordibus confusaque scoriæ massa purioris metalli venas passim sparsas delitescere, judicio & labore secernendas, & quam plurima, quæ statum & historiam tam civilem quam ecclesiasticam illorum temporum non parum illustrant, inesse, recollecto ac sedatiori animo, ni ingrati & injusti esse velint, facile concesserint. Hoc Viri præstantissimi, Usserius Armachanus in præclarissimo de Britannicarum Ecclesiarum antiquitatibus opere, Waræus antiquitatum, præcipue Hibernicarum, diligentissimus indagator, Dugdalus, & Whartonus, omnes in his codicibus Cottonianis legendis & exscribendis pariter assidui, demonstrarunt. Quin absque iis, è communi incendio ereptis, tot illustrium Sanctorum, quos Britanniæ omni tempore produxerint, illis, quorum celebratissimis virtutibus vicinarum Ecclesiarum fasti & annales turgent, nequicquam inferiorum, memoria plane defecisset.

Ea vero laus maxime debetur * Joanni de Tinmutha, qui vitas Sanctorum Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ in variis Libris sparsas, in unum corpus redegit. Opus sane ob reliquias genuinæ Antiquitatis ex membranis cariosis, quas vir diligentissimus versaverat, excerptas, & in illa grandi fabularum & quisquiliarum mole reperiendas, non parvi æstimandum. Hujus industriæ laudem in se inhonestis artibus derivaturus surrepturusque, Joannes [a] Capgravius multa decurtavit & resecuit, ac more plagiariorum variis modis immutavit, ut ipsius ingenii fœtus haberetur. Huic accedit præclarus

* *Tiber.* E.I. [a] *In nova Legenda Angliæ edita Londini,* 1516. *Otho* D.IX.

Liber

[a] liber vitas Sanctorum Wallensium præcipui nominis complectens, quæ antiquitatibus Cambro-Britannicis ingens lumen affundere poterunt. Sed ejusmodi novitiorum Scriptorum deflorationes & rhapsodiæ ad fidem veterum, quotquot reperiri possint, quibusque abundat bibliotheca Cottoniana, sunt exigendæ, ut inde melius eruatur constetque veritas. Quod vero ad Sanctorum in genere, quos Asia minor, Græcia, dispertitæque occidentis Provinciæ priscis seculis protulere, vitas, actaque Martyrum genuina è Græcis codicibus conversa spectat, in [b] quatuor spissis voluminibus quamplurima exstant, quæ veram sapiunt antiquitatem: è quibus acta Martyriorum SS. Ignatii Antiocheni & Polycarpi D. Usserius, &, ut ad tempora nostrorum Anglo-Saxonum descendam, [c] vitas Abbatum Monasterii in Wiramutha & Gyrwin, *viz.* Benedicti, Ceolfridi, Easterwini, Sigfridi, atque Whetberti, ab ejusdem Cœnobii Presbytero & Monacho Beda compositas, D. Waræus ediderunt: ut de quamplurimis aliis ejuscemodi libris, quorum nudæ simplicesque narrationes, infra limites veri consistentes, fidem abunde conciliabunt, aut nondum editis, aut è quibus editi multis in locis emendabuntur, in præsenti sileam. Inde exscriptas quorundam Sanctorum vitas a D. Camdeno accepit Heribertus Rosweydus; inde a D. Dugdalo S. Æthelberti Regis vitam habuit D. Henschenius; inde in acta Benedictinorum reposita quædam mutuatus est D. Mabillonus; inde vitam S. Fremundi versibus hexametris exaratam ad D. Papebrochium, qui illam a me rogaverat, ipse quoque transmisi, multa alia longe majoris molis & momenti, nobilissimo D. Cottono id benignissime permittente, exscripturus, ni diversa studiorum ratio, valetudo, & publicæ rei conditio, privataque vitæ incommoda obstitissent. Sed illorum erit, quos hæc cura peculiariter tangit, meliùs de hisce studiis per suorum, qui unicè hoc agunt, industriam prospicere. Interim quam copiosè augeri & luculenter illustrari inde possit insignissimum illud & immensi fere laboris opus, quod a Viris præstantissimis S. J. Collegii Antwerpiensis sociis, Rosweydo & Bollando inchoatum, atque doctissimo Henschenio continuatum, pari doctrinæ, ingenii, & industriæ laude dudum molitus est D. Papebrochius, aliis sui Ordinis idoneis, inque hoc genere literarum exercitatis viris lampadem traditurus, idem vir eruditissimus ex transmisso indice Vitarum in codicibus Cottonianis Latine exstantium, quem in ipsius gratiam seorsim accuravi, antequam de conficiendo integro catalogo cogitarem, optime, si quisquam alius, judicabit.

IV. *Tabulæ Genealogicæ.*

Inter cætera supellectilis librariæ, quæ in bibliotheca Cottoniana adservatur, monimenta, memoratu quoque dignæ sunt familiarum nobilium tabulæ genealogicæ, & de iisdem non paucæ commentationes. Licet enim Heraldorum, ex ratione institutionis, stirpes & cognationes illorum, qui militari gloria, natalibus, dignitate, Principum gratia, muneribus publicis, aut qualicunque merito evecti supra proletarios, & in distincta Nobilium classe recensiti, reliquis anteirent, in publica acta, quæ certissimam rerum fidem testantur, referre maxime intersit, & ingens istiusmodi instrumentorum in illorum Collegii Archivis moles congeratur: tamen cum Cottonus historiam Angliæ vix satis intelligi, multo minus absolvi posse, absque accurata virorum, qui rerum gestarum sub Regibus nostris pars magna fuerant, cognitione pro prudentia sua satis perspectum habuisset, istam curam magno in pectore versans, noluit hoc egregium, ne dicam necessarium, ornamentum in bibliotheca sua desiderari. Sed non in stemmatibus hisce Genealogicis colligendis sese stitit igneum Cottoni ingenium. Probe enim gnarus, omnem de Regiis nobilibusque familiis aridam, injucundam, & pæne inutilem infructuosamque disquisitionem merito videri, nisi quicquid ad nobilitatem pertineat, simul sub conspectum compareat; hac de causa formulas & ordinationes de ritibus Reges & Reginas ungendi & coronandi, constituendi Duces, Comites, reliquosque, quorum summa post Regem in Rep. administranda potestas, Magnates, & creandi varii generis Milites hic aut alibi, variis seculis introductis; de Regum illorum liberorum nuptiis, triumphis, conviviis, hospitalitate, magnificaque pompa, qua aut exteros Principes aut illorum Legatos exceperint; de illorum quoque ad regna Galliæ & Scotiæ juribus; de magnis & curiæ Regiæ & regni Officiariis, puta de Constabulariis, Admiraliis, Seneschallis, Mareschallis, Cancellariis, Thesaurariis, Justitiariis, Walliæ & Provinciarum Borealium Præsidibus, aliisque; de insignium gentilitiorum origine & usu, cum eorundem pulcherrimis delineationibus; de coronarum, quas vel ipsi Reges aut Nobiles, quæ pro variis illorum gradibus erant variæ, formis; de præcedentiæ, circa quam acerrimæ inter Nobiles illorumque filios lites omni seculo fuerint agitatæ; de diffidationibus, provocationibus, duellis, ludicris, spectaculis, & equestribus velitationibus, quas *torneamenta* appellamus, cum universo illarum choragio & apparatu, de vexillis, de funeribus, quamplurimisque aliis honoris appendicibus, quæ ad artem, professionem, & munus Heraldorum spectant; item statuta & decreta Mareschallorum Angliæ de Heraldis in rebus ambiguis dirigendis, sive si forte lites & abusus irrepserint, querelis, accusationibusque coram illo, penes quem summa determinandi potestas, adhibitis, in officio continendis; Schedas quamplurimas de statu *officii*, ut appellatur, *armorum*, imprimis vero diploma originale [d] R. Ricardi II. de Heraldis incorporandis seu in legitimam societatem adsciscendis, multaque ejuscemodi generis studiose & impendio conquisivit. Gazophylacium hoc Heraldicæ antiquitatis non parum augetur collectaneis

a *Vespasian.* A. XIV. b *Tiber.* D. III. & IV. *Nero* E. I. *Otho* D. VIII. c *Tiberius* D. I. & *Vitellius* E. I. d *Faustina* E. I.

viri nunquam satis laudati, G. Camdeni, qui *Rex armorum*, titulo *Clarentius*, constitutus, istud studium summa cum diligentia excoluit. Quanquam enim libros quosdam Genealogicos, peculiaribus notis indiciisque signatos, bibliothecæ Collegii, cujus erat ingens decus, ultimis tabellis legaverit, partem tamen istius thesauri in sacrario Cottoniano, ubi vivus, ni fallor, reposuerat, restare voluit; præcipue multos observationum, quandoque tumultuario, quandoque elaboratius factarum libros, in quibus inter alia continentur diplomata, in quibus multis, ex re præclare gesta, in numerum nobilitatem, quam tanquam sibi merito debitam dotem vendicant virtus, eruditio, & industria, adsciscendis, jus & facultatem gerendi insignia, vi regii muneris concesserat, aliaque autographa; de reliquis vero, qui in legati censum venerant, partiendis, Heraldis cum Cottono, uti, videtur, facile conveniebat. His adjungenda VV. C. L. Francisci Thynni, Nicolai Caroli, Heraldorum titulo Lancastriensium, aliorumque Adversaria, in quibus quicquid in archivis turris Londinensis & Scaccarii, in Monasteriorum chartulariis, privatarumque familiarum codicillis, in rotulis, in inquisitionibus post mortem, in monimentis sepulchralibus, in fenestris Ecclesiarum & palatiorum, quod ad Genealogicam illustrium familiarum historiam spectaverit, occurrisset, non minori industria quam curiositate adnotarunt: unde novus splendor bibliothecæ Cottonianæ accesserit. Ex libris Cottonianis quamplurima quoque de hoc argumento genealogico, quæ in prægrandi ista Collectaneorum in bibliotheca Bodleiana Oxonii, ut supra memoravi, repositorum mole reperienda sint, se descripsisse gratus passim agnovit R. Doddesworthus. Quod de familiis illustribus non solius Angliæ, sed etiam Scotiæ & Hiberniæ, licet non pari copia & ubertate describantur, dictum putet harum rerum studiosus Lector; hic quod investigandi laborem abunde compensabit, mentemque summa delectatione perfundet, pene supra votum & exspectationem, comperturus.

V. *Historiæ, Annales, & Chronica.*

Quantum luminis rebus Angliæ historicis è codicibus Cottonianis affulserit, plane hospes est, & animo ab hisce studiis aversissimo stupidus, qui ignoret. Integrum enim seculum fere elapsum est, ex quo antiquitatum nostrarum indagatores, vividiore ingenio subactiorique judicio præditi, bibliothecam Cottonianam, tanquam locupletissimum harum literarum penum, frequentes adierint. Dudum increbuerat fama, Cottonum summa animi sagacitate & solertia molientem, quo pacto gentis nostræ gloriam, tot præclarissimis gestis olim partam, è situ, oblivione, & interitu melius vindicaret, Chronica, Annales, Historias, & rerum domi & militiæ præstitarum Commentarios sumptibus immodicis, non tam sibi, ut antea dixi, in peculium, quam in publicum literarum & patriæ commodum comparasse. Nec vero major fama; cum ab omnibus, qui ejusmodi cimelia recte æstimare norunt, tum ob numerum copiamque, tum ob raritatem & delectum, thesaurus incomparabilis merito habeatur: absque q[...] historia Angliæ magna sui, [...] & me[...]ore, parte, fuisset omnino mutila. Quod enim Histor[...] nostri, aut primum in lucem exeant, aut innumeris mendis purgati, præclaris additame[...] illustrentur, quos vicinarum gentium vete[...] scriptoribus opponamus, nobil[...]mo Cott[...] & illius bibliothecæ id maxime debetu[...] Testor Gildam, Nenninm, Bedam, Asserium Menevensem, Ingulphum, Eadmerum, Simeonem Dunelmensem, Radulphum de Diceto, Joannem Bromptonum, Gervasium Dorobernensem, Henricum Knightonum, Gulielmum Malmesburiensem, Matthæum Parisiensem, multosque alios optimæ notæ Historicos, quos VV. C. L. L. Gulielmus Camdenus, Joannes Seldenus, Gulielmus Watsius, Abrahamus Wheelocus, D. Rogerus Twisdenus, Joannes Fellus, Episcopus Oxoniensis, Thomas Galæus, Henricus Whartonus, aliique edidere: item excerpta fere innumera historici argumenti, quibus ex nostratibus, qui Anglice scripserunt, non pauci, præcipue vero Joannes Speedus, Gulielmus Dugdalus, Robertus Bradæus, qui luculentam gentis Anglorum historiam a primo Julii Cæsaris in Britanniam adventu ad mortem R. Henrici III. ex rotulis clausis patentibusque, aliisque instrumentis authenticis in archivis Regiis, bibliotheca Cottoniana, aut alibi repositis, magna cum industria nec minori cum judicio conscripsit, illam ad tempora nostra continua serie, si per valetudinem & ætatem licet, deducturus, Gulielmus Petitus, qui ingens & elaboratum de *provisionibus Papalibus* opus molitur, & Petrus le Neve, Procamerarius curiæ receptionum Scaccarii Westmonasteriensis, & in Collegio Fecialium Londinensium Prosecutor ad arma titulo *rubræ crucis* in ampla & accurata comitatus Norfolciensis, quam prelo parat, historia & descriptione scripta sua adornarunt. Testor etiam Nicolaum Fabricium Peireskium, Andream du Chesne, Adamum Reuterum, Clementem Reiverium, aliosque magni nominis Viros, ad quos inde non parca manu transmittebantur varia antiquitatis monimenta, suis in historiis inserenda. Nec Latina tantum lingua, eruditorum communi, hic reperiuntur ejusmodi exarati codices de legibus, ordinationibus, & constitutionibus Regum nostrorum, quarum sunt variæ integræque sylloge de antiquitatibus Anglicis, Saxonicis, Scoticis, Hibernicis, & Cambricis; sed & linguis, quæ sunt istarum gentium propriæ, è quorum collatione omnium seculorum veritas & erui & illustrari possit; item de antiquitatibus, consuetudinibus, & privilegiis civitatis Londinensis, aliarum civitatum & oppidorum in Anglia, & præcipue quinque Portuum Mari finitimorum illic reperiuntur commentarii. Tanta vero de rebus Hibernicis, ut id obiter moneam, per varia usque ad avorum nostrorum memoriam secula gestis, librorum supereft copia, ut exinde Collectaneorum quatuor volumina exscripserit quispiam vir doctus, ex ista aggesta mole historiam, potissimum ex quo Angli rerum illic potirentur, compositurus, quæ in Archivis Lau-

dunii

dinis bibliothecæ Bodleianæ, ex dono istius maxime venerandi Archipræsulis, cujus sacra memoria apud gratos Oxonienses, qui tum bonis literis, tum Ecclesiæ Anglicanæ bene cupiunt, in omne ævum perennabit, hodie asservantur.

Nec minori cum fructu ex codicibus Cottonianis excoli potest tam Ecclesiastica gentium Britannicarum, quam civilis historia, a primis nimirum originibus, quantum per edacitatem temporum licet, usque ad tempora R. Jacobi I. puta de fundationibus sedium Episcopalium, Ecclesiarum, & Monasteriorum; de electionibus, professionibus, consecrationibus & gestis Episcoporum, una cum illorum epistolis, brevibus, & edictis; de universis religionis & sacri Ministerii officiis & ritibus; de Conciliis Anglicanis, decretis, canonibusque, illorum auctoritate, a temporibus Regum Anglo-Saxonum ad sequiora usque secula, stabilitis; de concertationibus litibusque, sive ab Episcopis inter sese, sive inter Clerum & Monachos Fratresque Mendicantes, agitatis; de appellationibus ad Romanos Pontifices; de Papali auctoritate, hac occasione aliisque subinde datis interposita; de provisionibus; de Romanæ curiæ consultationibus, decretis, & ordinationibus, quatenus in ipsis bullis originalibus continentur; & de universo Ecclesiæ Anglicanæ, singulis seculis variis casibus obnoxiæ, statu. Cottoni industriæ & pietati quoque referendum est, quod illa consilia, documenta, ordinationes, & acta de abolenda Papali tyrannide sub temporibus R. Henrici VIII. de supprimendis & subvertendis Monasteriis, de Regia auctoritate in universos subditos asserenda, & in pristinum usum redintegranda, denique de reliquo reformandi Ecclesiam Anglicanam negotio, hodie in literis originalibus, chartis, schedisque Regis Henrici, ejus Consiliariorum, Præsulumque sarta tecta maneant. Ex hoc magnifico historiæ Ecclesiasticæ apparatu [c] maxime eminent octo grandia volumina, quorum præcipua argumenta in catalogo recensui, pretii sane inæstimabilis: quod optime norat idem reverendissimus D. Laudus Antistes Cantuariensis, de Ecclesia Anglicana optime meritus, qui quicquid ad Henricianam reformationem Ecclesiæ Anglicanæ quoquo modo spectabat, inde exscribi curavit, ut in diario ipsius ad 22. Junii 1622. annotatum reperio: quod procul dubio eo animo fieri procuravit Vir maximus, ut ex iis aliisque instrumentis actisque authenticis, ex scriniis Regiis, eque archivis bibliothecarum, metropoliticæ Ecclesiæ Cantuariensis, Lambethanæ, Oxoniensis, Benedictinæ apud Cantabrigienses, aliarumque, quas Viri nobilissimi possederant; & denique è publicis Curiarum registris, regnique tabulariis affatim suppeditandis, historicum opus, omnibus numeris, quantum fieri potuit, absolutum, de reformatione Ecclesiæ Anglicanæ compaginaretur.

Ex catalogo vel leviuscule inspecto curiosus Lector facile dabit, quamplurima superesse è codicibus manuscriptis eruenda, quibus augeri & ornari possit historia Anglicana, quod fortasse lucubrationes illorum, qui in hoc nobili argumento tractando insudant, tandem aliquando, post restitutam Europæ pacem, ubertim demonstrabunt.

VI. *Acta regni authentica.*

Facile (nec id quidem diffitebor) animo cuiquam complecti licet, vetustos omnium generum & quantivis pretii codices, longa eaque assidua indagatione, præsertim cum adsint acer animus, qualem Cottonus habuit, industria, & opes in ejusmodi mercibus literariis, si ratio, si judicium, si vel ipsa curiositas mentis, in profundiora rerum, quæ spissis tenebris abdita latent, penetrandi avidissimæ, stimulos addat, si denique felix casus obtulerit, comparandis, impendendæ, acquiri potuisse: sed unde, qua arte, quali ingenio & solertia, quibus auspiciis, quantis sumptibus, ingentem illam Instrumentorum, quæ universum Angliæ statum, resque per tot secula, non tantum inter nostrates domi gestas, sed cum cæteris gentibus per Europam quaquaversum sparsis, & ultra, si quod commercium, si qua fœderatio cum iis intercessisset, habitas, collegerit, hoc sane prodigio simile & omnino obstupescendum videtur. Dum hæc jucundissimis oculis delibo, non sine summa Cottoniani ingenii, solertiæ, amoris literarum, & publicæ literarum utilitatis studii, (quæ omnia in præclarissima hac sylloge paranda maxime elucescunt) admiratione, extra me quasi abreptus, moxque sedatis affectibus in tantarum laudum contemplatione defixus, hanc gazam plane Regiam, & in censu publicarum opum merito reponendam, nec minoris commodi ac usus, quam munimenta & naves, quibus imperii Anglicani majestas asseritur & statuminatur, unius privati Viri cura servatam, non possum non impendio gratulari. Dixerim Reges, Consiliarios, Magnates, aliosque summæ nobilitatis Viros, magistratibus, legationibus, publicisque muneribus functos, scriniis capsulisque exhaustis, ceimelia sua Cottono, justis conditionibus efflagitanti, sponte & certatim communicasse, ut in hoc venerando sacrario in sempiternum in publicos usus promenda custodirentur. Sub nomine instrumentorum intelligo literas originales Imperatorum, Regum, & Principum in Angliam de rebus maximi momenti, variis temporibus missas, uti & nostrorum Regum, Reginarum, Magnatum, aliorumque familiares epistolas & testamenta; fœdera pacis & commercii, pacta conventa, contractus matrimoniales, postulationes Legatorum, universumque rerum politicarum, quæ inter Principes pariter summæ auctoritatis, solenni, secundum normam juris gentium, ritu tractari & transigi solent, apparatum. Ea vero omnia, ut investigantibus facilius sub aspectum venirent, sub distinctis istarum gentium, ad quas pertinent, titulis, juxta seriem annorum accurato ordine digerenda cu-

c *Cleopatra* E. F.

ravit Cottonus: utpote in omnibus futuris temporibus maximi usus; cum ab accurata rerum anteactis seculis gestarum cognitione, ex actis authenticis repetenda, in disceptationibus Legatorum, ubi de juribus, honore, & commodo suorum Principum tuendis disseritur, quid postulari, quid citra præjudicium & infamiam tolerari & concedi, quid ex æquo constitui possit, prompte & expedite sit edisçendum; aliterque Viros, utut vivido versutoque ingenio præditos, hisce subsidiis destitutos, vacillare, tergiversari, mente dubia ferri, & ad incitas redigi solere, subinde accidat. Sed quod ad res domesticas spectat, vix quicquam cujuspiam momenti, quod sub curam sapientissimorum Principum aut in disceptationem in generalibus Ordinum Comitiis, aut Sanctiori Consiliariorum consistorio olim veniebat; quod ad regimen, sive civile, sive Ecclesiasticum; ad Aulam Regiam; ad Tribunalia, ad classem navium; ad castella, in oris mari finitimis, aut in finibus Angliæ versus Scotiam, collocata; ad dominium illud, quod Principes nostri in mari, quod insulas Britannicas interluit, sibi jure vendicant; ad jurisdictionem Admiralitatis; ad reditus, jura, & prærogativas coronæ; ad mineralia, cæterasque terræ dotes; ad monetam; adque rem militarem & mercatoriam; aliaque omnia, quæ in republica administranda solent intercedere, quoquo modo pertinet, in schedis Cottonianis desiderandum videtur. Hoc enim abunde præstabunt Principum nostrorum literæ; diplomata, & in re quavis edicta & ordinationes; accuratissimæ veterum legum, statutorum, & publicarum determinationum summæ; rotuli Parlamentarii, una cum diariis, disceptationum historiam continentibus, rotulorum in turris Londinensis archivis repositorum indices; registra Concilii Regii; tabulæ censuales; documenta, & epistolæ Legatorum; arcanæ consultationes; commissionum de rebus, sive civilibus, sive bellicis, mari & terra gestis, explorandis commentarii; Nautarum varias mundi plagas, etiam extra solis orbitam, per mare interfluum, lustrantium ephemerides; aliaque ingentia Collectaneorum volumina, quæ in bibliotheca sua coacervavit Cottonus: neque alios testes aut arbitros, ad fidem hisce rebus, quas non ultra debitas veritatis lineas exaggerando protuli, faciendam advocare mihi opus erit, præter duos magnos Viros, Camdenum, in præfatione ad Annales Elisabethianos, & Seldenum in notis & Spicelegio ad Eadmerum, passimque alibi, quorum utriusque gloria, quam immortalibus reconditissimæ eruditionis monimentis ubivis apud omnes cordatos & ingenuos, qui humaniores literas norunt, & profitentur, optimo jure adepti sunt, huic bibliothecæ non parum debetur.

Cum vero præcipuam librorum, qui in bibliotheca Cottoniana asservantur, partem ad sex classes, quas fuse explicavi, redigi posse supra dixerim, de reliquis, cum sint varii & miscellanei argumenti, pauca tantum præfari libet.

Primum heic vendicant locum codices, qui quasdam sacrarum Scripturarum partes complectuntur, præsertim Evangelia & Psalteria, elegantissimis characteribus & delineationibus pulcherrimis illuminata, quæ olim ad aliquos e Regibus tum Anglo-Saxonibus tum Anglis pertinuere. In his maxime eminent Evangeliorum & Psalterii codices, qui in peculio R. Æthelstani, magni Alfredi nepotis, erant: [f] quorum illi, unus nimirum, cui nomen R. Oddæ & Mi[illegible] matris ejus inscriptum reperi, usibus Successorum Regum Angliæ, quo tempore, pro solenni more inaugurandi, fidem, de populo juxta legum latarum normam regendo, essent obstricturi, ab eodem piissimo & curiosissimo codicum antiquorum indagatore, destinabatur: [g] alter vero Evangeliorum codex Ecclesiæ Dunelmensi erat datus: hic vero venerandæ antiquitatis liber, [h] fere ante mille annos descriptus, ut quibusdam ex Calendario, quod annum Christi incarnati septingentesimum tertium certo designat, illic præfixo, videtur. Sed cum Librarios eandem temporis adnotationem, quæ ad vetustissimos codices proprie & peculiariter spectat, suis exemplaribus apposuisse sæpissime observaverim, idemque Calendarium cum iisdem regulis eodemque argumento ad inveniendum, quotus sit annus incarnationis Domini, recentiori manu, quod mihi plane constat, ante quatuor aut quinque præter propter secula ἀνα-λογεῖ exscriptum repererim: an sit ille ipse codex autographus, qui tantam præ se ferat ætatem, vel annon potius seculo aut circiter ante tempora Æthelstani descriptus, vix pro certo præstarem, ad posteriorem sententiam faventiori animo inclinaturus. Utcunque liber iste quantivis pretii est, & eo majoris æstimandus, quod asteriscis, obeliscis, cæterisque notulis distinctivis insigniatur. [i] Codex autem, qui S. Augustini Monachi, Episcopi Cantuariensis, esse perhibetur, literis Langobardicis exaratus, tantum Evangelia SS. Matthæi & Marci complectitur. De cæteris S. Scripturarum libris, qui Latine exstant, consulendus est catalogus. Duo tantum Græci codices, iique sacri, præter quædam Evangeliorum fragmenta, de quibus in catalogo fuse egi, in hac bibliotheca reperiuntur, *viz.* Lectionarium vetus, & liber Geneseos. [k] De hoc autem iis, quæ in catalogo habentur, pauca addere fortasse non abs re alienum erit. Vere & recte [l] judicavit Vir eruditissimus, Fronto Ducæus, S. J. cui Græcam veteris Testamenti editionem molienti illius, procurante nobilissimo Peireskio, in Galliam transmissi, usuram commendaverat Cottonus, *vix in toto Christiano orbe codicem ullum reperiri, qui cum illius antiquitate conferri possit*: & sane ob stupendam antiquitatem est maxime venerabilis, ut-

f *Tiberius* A. II. g *Otho.* B. IX. h *Galba* A. XVIII. i *Otho* C. V. k *Otho* B. VI. l *V. epistolam illius ad D. Robertum Cottonum, in appendice ad epistolas Camdenianas; in quibus multa quoque de hoc præstantissimo codice habentur: & vide etiam vitam Peireskii a Gassendo editam lib.* III. *p.* 10[illegible]. *ad* A. 1608. *qui codicem hunc* pretiosissimum *merito nuncupat. Quod vero a* R. Jacobo mille aureis coemptum *dicit, illum purum putum errorem, nulli fundamento innixum, nescio qua fallaci incertaque fama, admisisse cuivis Lectori ex descriptione libri in Catalogo clarissime patebit.*

pote

pote ante mille quadringentos, ut videtur, annos, literis majusculis, quas S. Hieronymus de ejusmodi libris, suo tempore vetustis, in præfatione ad librum Jobi, *unciales* nuncupat, sine accentibus, & sine distinctione & divisione vocum; literis nimirum simul coalescentibus, inque eadem linea junctim continuatis, nisi ubi nova sectio, novo, eoque incerto, linearum numero constans, incipiat, exaratus. Picturæ, quæ sacras historias singulis paginis repræsentant, coloribus satis probe, quod vix a miniatura expectandum videretur, retentis, licet ingenium & solertiam Artificis non valde commendent, utpote rudi penicillo expressæ, multa tamen curiosa in se continent, quæ non solum animum & oculos grata delectatione perfundunt, sed quæ etiam rem antiquariam optime illustrabuut. Exemplar plane simile & geminum exstat in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, cujus accuratam descriptionem in suis commentariis [m] dedit vir celeberrimus, Petrus Lambecius, qui omnes picturas æri incisas cum vetustissimorum characterum specimine, additis doctissimis observationibus, repræsentari curavit. Sed, ut hic iterum, quod supra dixi, repetam, mea interesse duco: commentarios in codices Cottonianos scribere mihi animus non est; neque si esset, cum hujus historiolæ synopticæ proposito ullatenus conveniret.

Præter hosce sacros codices (ne memorem quorundam ex insiguioribus Latinæ Ecclesiæ Patribus, & tum senioris, tum sequioris ævi Doctoribus tractatus, commentarios, homilias, ejusque generis scripta, aut seorsim compacta, aut libris diversi argumenti immista, utpote ubivis fere reperienda) Theologis quoque curiosas Canonum collectiones, tum ob materiam & gravitatem rerum, tum ob antiquitatem maximi faciendas, quibus non solum status Ecclesiarum Britannicarum, sed totius occidentis, sæculis retroactis, pro casuum emergentium varietate, repræsentatur, & quarum ope veterum Pœnitentialium editiones & præsidium & lumen non mediocre possint mutuari; item Martyrologia, libros rituales & Pontificales, regulas Monachorum & Monialium, accuratas Ecclesiarum orbis Christiani notitias, Calendaria, & multiplicem, eumque admodum vetustum, artis computisticæ & Astronomicæ in definienda Paschali solennitate apparatum; multa denique, & ea præclarissima, de Conciliis, puta Nicæno primo, Constantinopolitano sexto, de Turonensi, Lateranensi, Constantiensi, Basileensi, & Florentino Anglicanis, aliisque monimenta; item multa de Waldensibus, & Wiclevo, ejusque sequacibus, de utrisque Academiis nostris, de Collegiis illic alibique exstructis, aliisque non paucis, Ecclesiastici argumenti, memoratu dignis bibliotheca Cottoniana suppeditabit: de quibus hic disserendi non est locus. Iis, quæ de codice vetustissimo Concilium sextum Constantinopolitanum [n], sub Constantino Pogonato habitum, continente in catalogo apposui, tantum addam, illius titulum literis grandioribus, partim nigris, partim miniatis, exaratum, ita ad verbum se habere: *In hoc Corpore continetur sancta sexta Synodus, quæ in urbem Constantinopolim congregata est sub temporibus Domini Constantini, piissimi, Augusti, & Agathonis, sanctissimi ac beatissimi Papæ antiquæ urbis Romæ*: inde sequi continua serie literis iisdem, epistolam, cum hac epigraphe:

Divalis sacra directa ad Donum sanctissimum Papam, Senioribus [Senioris] *Romæ, cum adita vero Agathoni, sanctissimo ac beatissimo Papæ ejusdem antiquæ Romæ, eo quod idem Donus de præsenti vita decessisset.*

Venerandum & vere sacrum hoc Æthelstani depositum, Monachorum cœnobii Bathoniensis curæ & fidei olim concreditum, ni male memini, in catalogo codicum istius bibliothecæ in Collectaneis suis recensuit Lelandus: quod vero integrum & intemeratum adhuc servetur, nec in ista fatali Monasteriorum strage perierit, id Cottonianæ industriæ & ingenio unice referri debet. Quanti autem usus in actis hujus Synodi recensendis, iisque pristinæ integritati restituendis sit hæc antiquissima versio, ab homine, ut videtur, omnino supparis ætatis, linguæ licet Latinæ imperitissimo, facta, Vir eruditissimus, & de hisce sacris studiis optime meritus, Stephanus Baluzius Tutelensis, cujus rogatu, uti a Viro nobilissimo D. Joanne Cottono, qui literas illius ante decennium hac de re scriptas, tuncque recens acceptas mihi pro sua insigni humanitate legendas dedit, accepi, codex ille cum editis collatus fuerat, in altera parte collectionis Conciliorum, quam dudum molitus est, luculentissime ostendet.

Authenticum unionis inter Ecclesiam Græcam & Latinam, [o] Florentiæ anno MCCCCXXXIX. initæ, decretum in bibliotheca Cottoniana servari, invictis argumentis liquet. Ex una parte exstat formula ista Latine, propriis Eugenii quarti Papæ, Cardinalium, Archiepiscoporum, Præsulum, aliorumque, qui istius Concilii consultationibus interfuerant, subscriptionibus signata, cum sigillo plumbeo appenso: ex adversa parte Græce, cui solus subscripsit Imperator, Joannes Pæalologus, characteribus miniatis; prout Imperatoribus Constantinopolitanis dudum consuetum fuerat.

Illius vero χρυσόβουλλον nescio quo infortunio desideratur; quod olim appensum fuisse, cavitates, a filis sericeis illud sustentantibus in membrana pertusa factæ, satis evincunt. Aliud authenticum hujus decreti exemplar in thesauro serenissimi magni Ducis Hetruriæ reponi asserit Vir præstantissimus, Joannes Mabillonus, in prima parte Musei Italici [p]: tertium quoque, idque authenticum & originale, licet chartaceum, cum sigillis tum Imperatoris tum Papæ appensis, in bibliotheca Colbertina exstare testatur D. Baluzius, in præfatione ad opuscula D. Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis, Parisiis edita, A. 1681. De quorum omnium fide cum nefas sit quippiam sinistri vel leviuscule suspicari, non prorsus a veri-

m *Lib.* 3. *a pag.* 2. *ad pag.* 15. *v. etiam lib.* 2. *pag.* 1010. n *Claudius* B. v. o *Cleopatra* E. III. p *pag.* 245.

similitudine alienum videbitur, si dixero, tum Imperatori, tum Papæ, collatis sententiis, consultissimum visum fuisse, ut in perennem rerum gestarum memoriam plura exemplaria, ejusdem tenoris & αὐθεντικῶς, ab utrisque partibus, nominibus subscriptis sigillisque appositis, munirentur: ne si forte unicum fuisset exemplar, illud incendio aut aliquo tristi casu absumeretur, aut dolo malisve artibus interiret.

Denique tum Philosophi, arcanorum naturæ indagatores, tum Philologi præsertim, habebunt, quo amænitates suorum studiorum foveant & prosequantur; Vitruvium, Vegetium, Solinum, Prudentium, aliosque Classicos Scriptores: multa quoque reperturi de India, Ægypto, Palæstina, aliisque Orientis regionibus; de Mohammede, de illius dogmatibus, institutionibus, ritibusque superstitiosis; de Langobardis, Scanis, aliisque Septentrionis populis; de templis, theatris, columnis, portis, arcubus, aliisque veteris Romæ antiquitatibus; de indulgentiis & reliquiis sacris, quæ in præcipuis istius Urbis basilicis hodie asservari perhibentur, infinitisque pæne aliis, quæ non absque ingenti tœdio recenseri poterunt. Si quispiam vero delicatulus, otio abundans, aliquot horas in insomniis delirantium, qui fabulas amatorias præ lascivia ingenii excogitarunt, aut qui de incertis rerum, futuris seculis gerendarum, eventibus, de imperiorum vicissitudinibus, de Regiarum familiarum mutationibus, de bellis, de peste, de aquarum inundationibus, & de fine & interitu mundi, multa olim pari vanitate ac arrogantia (non enim hæc peculiaris est hujus seculi labes) effutierunt, legendis vellet impendere, tanta ejusmodi visionum & vaticiniorum hac in bibliotheca suppetit copia, ut nescio, an in lætitiam effusus magis rideret, an misericordia tactus doleret, an potius ira accensus miraretur, aut ista spissa mendacia credulæ plebi obtrudi, aut nugarum architectos & venditatores in ejusmodi stultitiam & insaniam incidere potuisse.

Ex hac brevicula & generali historia & synopsi Lectori qualemqualem hujus celeberrimæ bibliothecæ ideam in animo formare facile licebit; quam ideo præmittendam duxi, ut excelsam nobilissimi Cottoni mentem & præclarum istud propositum, quo ad illam condendam ferebatur, & quales ac cujus generis argumenti libros illic reponi curaverit, melius comprehendat. Ut vero interdum usu venit, ut qui terras, aut nuperrime detectas, aut levi pede celerique oculo lustratas, penitius cognoscendi desiderio inflammati, provinciæ parum cognitæ historia, quæ illius situm, delicias, commoda, agros, sylvas, fontes, & incolarum mores, licet imperfecte & rudiuscule, describit, in manus avide arrepta, tandem præsentes, non ea tantum, quæ legissent, oculorum fide & testimonio niti, & intra modestiæ & veri fines consistere pro compertis habeant, sed diligentiori & accuratiori exploratione facta, longe plura & majora experiantur, quam mente concepissent: ita nullus dubito, quin Viri rei antiquariæ & historicæ studiosi, si ingenio & judicio polleant, si Britannicarum antiquitatum amore ducantur, modo synopsin hanc, crassa licet Minerva & properante calamo contextam, & hujus bibliothecæ dignitati, quod non invitus fateor, haud satis respondentem, manu excipere, & tanquam fidam ducem sequi velint, gazas hasce literarias, uti omne pretium, ita quoque illorum spem, exspectationem, imo pene & votum, exsuperare, consultis inque usum adhibitis manuscriptis codicibus, solida eruditaque experientia convicti, non sine debita Cottoniani nominis laude & elogio sint prædicaturi.

Elogia

ELOGIA ET TESTIMONIA

Clarissimorum Et Doctissimorum Virorum,

DE ILLUSTRIBUS VIRIS,

D.D.D. *Cottonis*, *Roberto*, *Thoma*, & *Johanne*,

ET

De Bibliotheca Cottoniana.

J. Casus G. Camdeno, 8. Novembr. 1592. in Camden. epist. pag. 49.

Sidus bonarum literarum, doctissime Camdene, postquam accepi a Cottono tuo, dignissimo Viro, te morbo periculose laborare.

G. Camdenus in Britannia in comitatu Huntingdoniensi, pag. 368.

--- *A Bernardo filio juniore, cui hoc Connington cum Exton obtigit, Robertus Cotton, vir dignitate Equestri, qui praeter caeteras virtutes bonarum artium admirator & indagator summus, conquisitis undique monumentis venerandae antiquitatis hic instituit armarium, e quo mihi in his tenebris lumen pro singulari humanitate saepenumero praetulit.*

Idem in Cumbria, pag. 633.

De ara quadam in Cumbra effossa --- *Illam & singula ejus latera graphice descriptam manu Roberti Cottoni de Connington, viri Equestri dignitate, antiquitatis cultoris summi, cum nos una studio patriae illustrandae has regiones non sine dulcissimo animi pabulo, anno salutis* CIↃIↃXCIX. *perlustravimus. Nec enim possumus non grata memoria prosequi optimum illum, quem dixi, virum, non solum quod nos hospitio benignissime singulari cum humanitate excepit, sed etiam, quod ipse non indoctus antiquarum literarum sit admirator, & has inscriptiones, quae ab aliis imperitis per hanc regionem statim comminuuntur, & in alios usus summo cum antiquitatis detrimento transferuntur, diligentissime conservat.*

Idem in Northumbria, pag. 662.

Repertae etiam hic fuere inscriptiones, quas, ut alias, Cl. V. Roberto Cottono, Equiti aurato, debemus, qui nuperrime vidit & descripsit.

Idem in praefatione ad Annales rerum Anglicarum & Hibernicarum, regnante Elisabetha.

Omnia undique ad scribendum subsidia conquisivi, Regum & Magnatum diplomata, literas, consultationes in Regio Consistorio, Legatorum documenta & epistolas sedulo volvi & revolvi, Parlamentaria Diaria, actus, & statuta percurri, & singula edicta perlegi. Quorum omnium longe plurima clarissimo Viro, Roberto Cottono, Equiti aurato & Baronetto, qui rei Historicae & Antiquariae lectissimam supellectilem magnis impensis & felici industria sibi comparavit, ut debeo: (lumen enim maximum mihi lubentissime de lumine accendit suo) ita, Lector, si te hac in parte juvero aut delectavero, eidem gratias meritissimo referre debes.

Isaacus Casaubonus Labbaeo epist. 641. 6. eid. Novembr. 1611. p. 815. ex editione D. Graevii, 1656.

Laudo consilium a te susceptum de historia Regum nostrorum illustranda; vellem aliquid possem conferre. Sed in hoc regno nihil adhuc inveni ejus generis. Unicam excipio bibliothecam nobilis Angli, Cottoni, ejus notae libris instructissimam. Invisam illum; est enim amicus mihi; & sciscitabor, an possit laudabile propositum tuum adjuvare.

Idem Jacobo Augusto Thuano Epist. 711. 9. Novembr. 1612. p. 936.

Ivi etiam ad Camdenum --- Non dubito Cottonum, qui tuas legit, cum illo de omnibus egisse. Ille mihi saepius dixit, atque hoc jam aliquoties scribere ad Te memini, si tu dignareris ad se scribere, & mentem tuam sibi aperire, daturum se operam, ut rebus ipsis, quanti Te faciat, probaret. Quare auctor sum, ut illi scribas. Vir optimus est, candidissimus, & vere nobilissimus.

Idem Epist. 784. 17. Febr. 1614. p. 1004. de Matthaeo Parisiensi loquens.

Habeo nunc in Museo meo ipsum exemplar, quod ille Monachus suae abbatiae dederat, quodque nunc servatur in Regis bibliotheca. Legi etiam in bibliotheca Cottoniana ejusdem libros de vita Abbatum S. Albani. Ibi quoque eaedem querelae de fraudibus, sceleribus, & rapinis inexplicabilibus Paparum. Idem Cottonus habet brevem historiam ejusdem Matthaei, ubi acrius invehitur in Romanam tyrannidem, quam in editis. Atque omnia in membranis scripta ejus aetatis, qua ipse vixit, aut circiter.

Idem in epistola dedicatoria ad R. Jacobum I. Exercitationibus ad Annales Ecclesiasticos Baronii praefixa, loquens de oratione R. Eadgari ad Ecclesiarum & Monasteriorum Patres; in qua Parsonium Jesuitam lectionem cujusdam voculae perfide immutasse criminatur. Nos *mutavit in* Vos, *magna ea perfidia fuit, & consceleratі in suos Principes odii certum argumentum:* Nos *enim habent omnes antiquae membranae, quas probitate & doctrina Vir insignis Robertus Cotton mihi nuper ostendit.*

Idem in prolegomenis ad easdem Exercitationes de eodem libro Matthaei Parisiensis loquens. --- *Legi ipse nonnulla ejus generis in vetusto libro, vitas Abbatum illorum continente, quem mihi*

in sua libraria ostendit inter plurimos alios scriptos manu libros præstantissimos, eximiæ vir probitatis & eruditionis, Robertus Cotton Brucæus, Baronettus.

N. Fabricius Peireskius G. Camdeno Sept. 1. 1617. p. 197. qui etiam in omnibus fere ad illum literis Cottoni meminit.

— *Monsieur le Chevalier Cotton, à qui je suis le plus obligè serviteur, que sa courtoisè luy ait jamais acquis, bien marri de luy estre si inutile, comme je suis.*

J. Seldenus in præfat. ad Eadmerum pag. VI. Londini 1623.

Codices MSS. quos testes sine loco & nomine laudamus, omnes (uti etiam ipsum, unde hæc editio) suppeditabat instructissima illa & quantivis pretii bibliotheca nobilissimi, eruditissimi, mihique amicissimi Viri, Roberti Cottoni, Equestri dignitate, & ea, quam Baronetti dicimus, clari, qui non modo comparandis ingenti sumptu libris MSS. iisque selectissimis, sed etiam humanissime iis atque propensissimo in bonarum literarum & rerum civilium studiosos animo communicandis, immortalem tam apud exteros quam populares meritissimo nactus est famam.

Idem in præfat. ad marmora Arundeliana, Londini 1628.

Vir præstantissimus, Robertus Cottonus, condus ille ac promus vetustatis longe locupletissimus —

Idem in prolegomenis ad aureum librum de DIIS Syris cap. 3. ex editione Lugduno-Batava 1629. p. 60. loquens de inscriptione antiquissima Lucii Scipionis, Barbati filii:

Olim e Galliis a N. Fabricio Peirescio, Viro & genere & eruditione clarissimo, atque Aquensis Curiæ Senatore amplissimo Vir & natalium splendore & optimis studiis nobilissimus, Robertus Cottonus, dignitate Equestri, accepit —

Idem in præfat. ad Eutychii Ecclesiæ Alexandrinæ origines, Londini 1642. p. XXIII.

Exemplaribus usus sum binis MSS. ex Oriente dudum allatis. Alterum antiquius est, & trecentis quadraginta amplius abhinc annis exaratum, quod bibliothecæ Cottonianæ cimelium est. Vide etiam eundem de DIIS Syris p. 45, 46.

Idem in præfat. in X. Scriptores historiæ Anglicanæ, Londini 1652.

— *Codices nonnullos veteres, ei inservientes in descriptionem collationemque cum aliis petitos, indicando communicandoque ex instructissima scilicet maxime bibliotheca illa viri undequaque nobilissimi, Thomæ Cottoni Baronetti, Roberti Equitis & Baronetti filii, nominisque, ut apprime meruit ipse, passim celebratissimi. Eam dico, quæ ex MSS. omnigenis, iisque optimæ notæ, constat, atque ex summa tam Patris quam Filii humanitate & indulgentia mihi nunquam non agnoscenda, haud minus usui meo semper patuit, quam si mei ipsius plane fuisset.* Ibid. — *In ipsa item fronte manu quadem recenti, sed interim Roberti Cottoni, Viri, ut aliàs undequaque eximii, ita in scriptoribus ejusmodi rite feliciterque discernendis versatissimi, annotatur, Turgotus Prior Dunelmensis, Auctor hujus libri.*

Andreas du Chesne in præfatione ad Historiæ Normannorum Scriptores antiquos, Lutetiæ Parisiorum 1619.

Hujus (Elogii Emmæ) *ut & sequentis Authoris, Gulielmi Pictavini, scripta debentur Viro perillustri D. Roberto Cottono, non solum familiæ vetustate ac splendore, quæ honoratissimas cognatione complexa est, atque Equestris ordinis dignitate Baronetta, sed etiam eruditione multifaria, nec non felicissima industria in congerenda antiqua rarissimorum librorum numorumque supellectile, quam pro candore omnibus studiosis libentissime aperit, commendatissimo.* Vide etiam vitam Peireskii a Gassendo scriptam lib. III. ad A. 1618.

Clemens Reinerius in libro de apostolatu Benedictinorum in Anglia, Duaci 1626. pag. 202.

Qui primo loco subscribit D. Robertus Cottonus, Eques auratus est, ex ordine amplissimo, quos nos Baronettos vocamus, antiquissimæ familiæ & nobilissimæ, amplitudine censuum spectabilis, & quod in eo omnes docti debent honorare, antiquitatum summus amator: quibus conservandis copiosissimam erexit bibliothecam, in qua est thesaurus ingens librorum manuscriptorum, ex omnibus vetustis Angliæ bibliothecis ab eodem summo viro inæstimabili pretio coemptus. Thesaurum vero in eos impendisse dixerit, quicunque inspexerit, eosque non minorum gentium Authores, sed selectissimos, antiquissimos, lectuque dignissimos esse aiunt, qui viderunt. Quod quamvis in Viro nobili, divitiis, honoribus, atque otio florenti valde sit mirum: adhuc tamen magis jucundum dicunt, qui eum norunt: quod non habeat hos libros eo in loco, quo Erasmus dicebat Hispanos habere, qui libris uti pro tapetibus jocabatur, sed ipse eos ita diligenter versaverit, ut quicquid fere memoratu dignum de antiquis historiis contineant, in promptu habeat, sitque adeo ipsemet viva quædam bibliotheca.

Tho. Comberus in epist. ad Joannem Morinum scripta 1634. & in antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis Londini edita, 1682.

Delitescit jam quidem liber iste, (i. e. exemplar Pentateuchi Samariticum) *quod certius intelligo, non in Oxoniensi, sed in privata Cottonorum bibliotheca apud D. Roberti Cottoni filium & heredem, paterni animi ac studii tenacissimum Juvenem, cujus è manibus tale aliquid extrahere, nisi probe ei cautum de restituendo sit, non nisi frustra tentaveris. Ego quidem, qui dissitis ab eo locis habito, scribendo nihil proficio. Quod si autem operæ pretium duces, impetratis, quod facile erit Reginæ serenissimæ literis, aliquid effici posse existimem: nam & Frontoni Ducæo factam olim ab hujus Parente librorum copiam audivi.*

Ufferius Armachanus in præfatione ad librum de Britannicarum Ecclesiarum antiquitatibus:

— *Quorum* [codicum MSS.] *præ aliis maximam mihi suppeditavit copiam bibliotheca illa Cottoniana nobilis, quæ una ad Britannicæ gentis historiam perficiendam plura confert adminicula, quam omnes omnium aliæ junctim simul. Ea vero amicissimi D. Roberti Cottoni, (quem ut Antiquitatum suarum promum, condum, semper celebrabit Britannia) summa humanitate, non minus quam mea ipsius, & olim patuit, & continuata D. Thomæ, filii ipsius, tum in Equestri ordine atque Baronetti dignitate, tum in Bibliotheca conservandæ & augendæ cura, successoris unici, benevolentia adhuc patet; Isocraticæ illius monitionis hic certe non immemoris: πρέπει τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας πατρικῆς κληρονομεῖν.*

Idem

Idem in Syntagmate de editione LXX. Interpretum, p. 18. Londini 1655.

— *Priorem lectionem exhibet Græcus Geneseos codex, omnium, qui uspiam hodie exstant, vetustissimus, quem in Cottoniana bibliotheca vidimus.* —

Vide etiam aliud elogium D. R. Cottoni in libro, quem edidit D. Usserius de antiqua religione Hibernorum, Anglice, cap. 4. pag. 31.

D. Jacobus Waræus in præfat. ad libr. de Scriptoribus Hiberniæ, Dublinii 1639.

Ex his (ut de MSS. Musei mei taceam) *plurimos suppeditavit mihi illustrissimus Præsul, Jacobus Usserius, Archiepiscopus Armachanus: non paucos etiam è bibliotheca sua D. Robertus Cottonius, Eques auratus & Baronettus, mihi, dum viveret, amicissimus; unde adversaria mea anno 1629. dum in Anglia essem, ditavi.*

Gulielmus Watsius in præfat. ad Matthæi Paris, Monachi Albanensis, Historiam majorem, Londini 1640.

— *Rogeri Wendoveri Chronica & Parisiensis nostri historia majore, MSS. ex instructissima nimirum illa D. Thomæ Cottoni Baronetti, bibliotheca humanissime accommodatis; ad collationem earundem cum priore editione me totum cum Amanuensi meo jam accingo.*

Idem in præfatione ad vitas duorum Regum Cœnobii S. Albani Fundatorum, & vitas Abbatum, & additamenta:

Hos MSS. codices duos, pro nativa sua humanitate & in bonum publicum propensissima voluntate, mutuo nobis dedit nobilis Dominus, Thomas Cottonus Baronettus; ex instructissima nimirum, totique mundo literatorum notissima manuscriptorum bibliotheca, quam judicio maximo impensisque sumptuosissimis sibi Musisque publicis thesaurizaverat illustrissimus pater ejus, natalibus eruditioneque clarissimus, D. Robertus Cottonus Baronettus: quem honoris gratitudinisque causa nomino, utpote mihi quondam notissimum amicissimumque.

Abrahamus Whelocus in præfatione ad Bedæ historiam Ecclesiasticam, Latino-Saxonice edit. Cantabrigiæ 1644.

Tertio (codice nimirum, quo usus est) *nobilissimi, & ultra merita mea, & mei & hujus operis faventissimi, D. Thomæ Cotton, Equitis aurati filii & hæredis famigeratissimi D. Roberti Cottoni, antiquitatum nostrarum vindicis, custodis, conservatoris.* ----

Postea recensens nomina eorum, qui codices Saxonica lingua conscriptos collegissent:

Nobilissimus (inquit) *D. Robertus Cottonus, D. Thomæ pater inclytus, divinus ille antiquitatum nostrarum ærarius* —

De chronologia Anglo-Saxonica dicit se habuisse duos codices MSS.

— *alterum in bibliotheca nobilissimi D. Thomæ Cottoni, D. Roberti æque nobilissimi τȣ̃ μακαρίτȣ filii.*

Lucas Dacherius in præfat. ad opera Lanfranci, Cantuariensis Archiepiscopi, Parisiis 1648.

Ad epistolas quod attinet, adhibuimus ipsissimum exemplum, cujus meminit Cardinalis Baronius, Annal. Ecclesiasticorum tom. XI. *ad A.* 1070. ---- *qui posteaquam B. Lanfranci epistolam Alexandro* II. *inscriptam retulit, ista profert: Hucusque epistola ad Alexandrum Pontificem, quam accepi una cum aliis ab Amico, conjunctissimo mihi Christiana charitate, Nicolao Fabro Parisiensi. Fabrum ex celebri bibliotheca Cottoniana in Anglia accepisse testis mihi est idem, qui supra, Seldenus, loco citato. Atque illud quidem apographum liberalissime communicavit doctissimus Sirmondus, quo potissimum in nostra hoc usi sumus editione.*

Pet. Gassendus de vita Peireskii ad A. 1606. pag. 52. Hagæ Comitum, 1655.

Alter fuit Robertus Cottonus, inter curiosos optimeque animatos conspicuus.

Brianus Waltonus VI. tomo Bibliorum polyglottorum Londini impressorum:

Liber Genesis in bibliotheca Cottoniana, omnium totius orbis (*ut Viris quibusdam doctis videtur*) *vetustissimus, per reverendissimum Usserium & Patricium Junium cum editione Græca Francofurt. primum collatus: quorum collationes cum editione Romana, quam in hisce Bibliis secuti sumus, iterum conferri curavimus.*

Gulielmus Somnerus in præfat. ad Dictionarium Saxonico-Latino-Anglicum, Sect. 3. Oxon. 1659.

Alia, plura quidem alia, Saxonica extare monimenta satis scio tam in publicis utriusque apud nostrates Academiæ librariis, quam in illis, magis privatis licet, mihi tamen, singulari nobilium custodum erga me humanitate, non minus publicis & patentibus; Cottoniana sc. (*quæ una instar omnium, in hoc quidem genere:*) *Arundeliana, Hattoniana, Seldeniana, Dewesiana, Ashmoleana,* &c.

mox ---- *præter quasdam alias* (i— vocum Saxonicarum collectiones) *antiquiores in illustri illo & nobili antiqnitatum & cimeliorum tum externorum tum domesticorum thesauro, D. Thomæ Cottoni Baronetti, Roberti F. bibliotheca* ----

Gabriel Gerberon in proloquio ad opera Anselmi, Cantuariensis Archiepiscopi, Paris. 1675.

Porro epistolarum tribus libris, quos primus ediderat D. Picardus, quartum adjecimus, cæteras omnes complectentem, quæ in MS. bibliothecæ Cottonianæ habentur. Ipsas enim numero supra centum, quæ hactenus ineditæ sunt, solita sua erga veri studiosos humanitate nobis communicavit V. Cl. D. Cotton, instante apud eum singulari benevolentia V. Cl. D. Joly, Regi a Consiliis, tum in Anglia residente.

D. J. Fellus Episcopus Oxoniensis in præfatione ad I. volum. Veterum Scriptorum rerum Anglicanarum, Oxonii 1684.

De Ingulpho loquens: *Interim & folium unicum mala manu abscissum a D. tamen Thoma Gale nobis communicatum ex codice instructissimæ bibliothecæ illustris D. Johannis Cottoni, Viri, animo in literas propensissimo, adjiciendum curavimus ad finem Petri Blesensis.*

Thomas Gale in præfat. ad historiæ Anglicanæ Scriptor. 2. Vol. Oxon. 1687.

De annalibus Waverleiensibus loquens:

Exemplar, de quo loquor, mihi benigne utendum dedit antiqua familia, literis, & omnibus bonis artibus nobilis, Joannes Cottonus Baronettus.

Idem in præfat. ad 3. Vol. Oxon. 1691.

---- *Sciat ille, quisquis bona fide historiam nostram per omne ævum explicare sataget, nullum laudatum scriptorem a se desiderari exoptarique posse, quem Cottonianus ille incomparabilis thesaurus promptissime non exhibebit: Ea est & semper fuit nobilis Domini erga literatos indulgentia.*

Postea: *Iterum ad Cottonios recurramus. Horum fores (ut illæ Musarum apud Pindarum) omnibus patent. Testes appello Theologos, Antiquarios, Jurisconsultos, Bibliopolas: qui quidem omnes ex Cottoniana bibliotheca, tanquam ex perenni, sed & communi, fonte, sine impensis & molestia abunde hauserunt.*

Henricus Whartonus in præfat. ad tom 1. Angliæ sacræ, Londini 1691.

Post Lambethanam bibliothecam profuit illa ex adversa fluminis ripa in ædibus Cottonianis posita, quæ codicum manuscriptorum numero atque pretio omnes nostræ gentis superat. Ista mihi semper patuit egregia humanitate generosi possessoris D. Joannis Cotton, Baronetti, Viri non magis ob clarissimam stirpis nobilitatem, quam eximiam virtutem & penitissimam utriusque linguæ ac cujuscunque melioris literaturæ scientiam summo honore recolendi.

LIBRORUM

LIBRORUM MANUSCRIPTORUM BIBLIOTHECÆ *COTTONIANÆ* CATALOGUS.



LIBRORUM
MANUSCRIPTORUM
BIBLIOTHECÆ
COTTONIANÆ
CATALOGUS.

JULIUS A.

I. 1. STEMMA genealogicum Regum Angliæ a Carolo magno, Rollone, primo Duce Normanniæ, & ab Alfrido ad Henricum II. deductum.

2. Chronicon ab orbe condito ad Edwardum I. Angliæ Regem inclusive, scriptum a Joanne de Taxston, Monacho de Bury, post annum M. CC. LXVII. quo tempore habitum Monachalem susceperat; ut patet ex ejusdem hac de re inserta adnotatione temporis. fol. 37. b. Videtur esse non inaccuratus temporum supputator, & rerum memorabilium in Anglia gestarum diligens Collector.

3. Breve Chronicon incerti Auctoris ab initio mundi ad annum 1317. Ad finem indiculus terrarum ad Regem Scotiæ pertinentium, & Episcopatuum in Scotia habetur.

4. Historia de Rege Edwardo Secundo, & de initiis regni R. Edwardi Tertii, Gallice.

5. Chartæ de terris ad Abbatiam de Pippewell pertinentibus.

6. Chronica fundationis Monasterii de Chateris in insula Eliensi. Continet autem bullam papalem, Chartas Regias, Chartas donationum terrarum, confirmationis, aliasque congeneris argumenti. Liber curiosus sumptibus & industria Agnetis Ashfield, Abbatissæ ejusdem Monasterii, & Henrici Buckworth Decretorum Baccalaurei, sub temporibus R. Henrici quarti, confectus. In initio libri imago cujusdam Regis Francorum pugnantis cum leone, liliorum figuris ab omni parte ornata.

II. 1. Fragmentum historicum a Creatione mundi ad tempora Regum Saxonum. In fine agitur de futuro Christi adventu ad judicium.

2. Ælfrici Grammatica Saxonica, pulcherrimo charactere exarata. Ad finem Glossarium sive Onomasticum Latino-Saxonicum ejusdem Auctoris.

3. Preces quædam, Saxonice.

4. Quæstiones breviculæ ab Adriano ad Ritheum propositæ de rebus sacris & biblicis, aliisque, cum responsionibus, Saxonice.

5. Monita quædam de moribus, Saxonice.

III. Bernardi Andreæ Tholosatis in 23. regni Regis Henrici VII. annum Commentarius historicus, ipsi Regi inscriptus. Continet autem gesta à S. Bartholomæi vigilia anni 1507. ad eundem diem & mensem anni 1508.

IV. Ejuſdem rerum memorandarum liber, in quo de rebus quibuſdam hiſtoricis agit ad tempora R. Henrici VII. ſpectantibus, & in ejuſdem laudibus fuſe exſpatiatur.

V. 1. Carmen rhythmicum de Balliolo Rege, & Scotis.

2. Petri de Langetoft hiſtoria Bruti, & regum ſucceſſorum, uſque ad Eadwaldum: verſibus rhythmicis Gallicanis.

3. Prophetia Merlini, una cum duabus iconum tabulis, in quarum altera exhibentur Merlinus & Manacha, mater ejus, alloquentes, in altera Rex Vortigernus & Merlinus: ſubtus quam hic verſiculus,

Vortiger in veſte regali ſedet honeſte.

Merlinus viridi pallio, cucullo ejuſdem coloris a tergo defluente, & raſo capite depingitur.

4. Petri de Langetoft geſta regum Saxonicorum in Anglia regnantium ex Bedæ chronico, cum continuatione ex aliis chronicis, uſque ad tempora R. Edwardi I. in cujus hiſtoria deſcribenda libro ſingulari exſpatiatur; rhythmis Gallicanis.

5. Prophetiæ quædam Merlini, Gallice redditæ.

6. Recognitio homagii Scotiæ Regi Edwardo I. & juris ejuſdem Regis in iſtud regnum facta A. 1291. per Florentium Comitem de Hoyland, Robertum Brus Dominum de Vale coram Johanne Vale de Balliol, Domino de Galloway, Johanne Haſtings Domino de Korgelkenny, Johanne Comyno, aliiſque, Gallice.

7. Verſus veteri ſermone Anglicano de quodam Nobili errante, ejuſque geſtis amatoriis, in quibus elegantiæ non paucæ repe- riuntur.

8. Verſus Gallici de Gulielmo Longſpee, ſtrenuo Milite, a Saracenis Babylone capto: quo tempore Ludovicus Gallorum Rex petiit Palæſtinam cum exercitu, eam recuperaturus.

VI. 1. Computus de ſingulis menſibus.

2. Kalendarium metrice deſcriptum, cum pictis Zodiaci ſignis in ſumma pagina, in infima vero figuris varias anni tempeſtates repræſentantibus.

3. Tabulæ de epactis, XIV. Luna, cæteriſque ad feſtum Paſchale & cyclum decennovennalem ſpectantibus.

4. Hymnarium vetus Latinum, cum verſione interlineari Saxonica. Interſeruntur lectio ex Evangelio, & hymnus unus & alter, muſicis notis inſigniti. Liber accurate & pulcherrime deſcriptus.

VII. 1. Chronica Romanorum pontificum & imperatorum uſque ad Alexandrum tertium: ſucceſſorum uſque ad Urbanum IV. recenſentur nuda nomina.

2. Chronica Romanorum pontificum edita ab Onithone Sutrino Epiſcopo, viro, ut habet titulus, per omnia doctiſſimo, uſque ad Urbanum. Hujus Urbani pontif. acta dicit Auctor in fine ſe ſcripſiſſe.

3. Chronica Regum Manniæ, & inſularum, & Epiſcoporum, & quorundam Regum Angliæ, Scotiæ, Norwegiæ: a Rege Cnuto A. 1000. uſque ad A. 1374. Sparſim.

4. Limites ſive diviſiones terrarum monachorum de Ruſſyn inſulæ Manniæ a terris Regis.

5. Verſus Nigelli de Wetekre, Monachi Cantuarienſis, continentes monita moralia, miſſi ad Gulielmum Epiſcopum Elienſem, R. Richardi primi Cancellarium. Vide non procul ab initio: ad libellum;

Quæſitus regni tibi Cancellarius Angli,
Primus ſolliciti mente petendus erit.
Hic eſt, qui regni leges cancellat iniquas,
Et mandata pii Principis æqua facit. —

6. Verſus Latini de virtutibus & vitiis, rebuſque ſacris, aliiſque miſcellaneis.

7. Verſus Gallici de conflictu corporis & animæ.

8. Miſcella quædam Theologica de Anna matre S. Mariæ, de Apoſtolis, de ſenario numero, de Oſanna, aliiſque: ſermo de Oratione, &c.

9. Verſus de inventione S. Crucis.

10. De mutatione mala ordinis Ciſtertii.

11. De apparitione ficta B. Virginis cuidam ex ſuis cultoribus.

12. Fabula de Epiſcopo conſecraturo Eccleſiam, qui barba ſemiraſa vidit Dæmonem illi objicientem, quod barbam radi die Dominico feciſſet.

13. Fragmentum de immaculata conceptione B. Virginis, & ejuſdem feſto.

14. Verſus encomiaſtici in B. Mariam Virginem.

15. Moralis Philoſophia ex antiquis Scriptoribus, præſertim Romanis, puta Cicerone, Salluſtio, Seneca, Horatio, Juvenale, aliiſque collecta.

16. Revelatio S. Michaelis in monte Tumba, 17. Kal. Novembris. Deſcribi fecit Joannes Taylour, S. Theologiæ Profeſſor, Cancellarius Cathedralis Eccleſiæ Exon. A. 1419. Chronicon Manniæ dedit Rogerus Dodſworth Eboracenſis, antiquitatum apprime ſtudioſus. 1620.

VIII. Chronicon Regum Angliæ a Bruto uſque ad Regem Edwardum III. Initium, *Nacto olim otio a tumultu ſeculi* —— Præmittitur deſcriptio Angliæ; *h. e.* de ſitu, & incolis. Inſeruntur in præfatione verſus Ricardi Cluniacenſis in laudem Angliæ.

IX. 1. De vita Recluſorum, ut creditur, ſecundum Bernardum: A. 1111.

2. Tractatulus alter de Recluſis.

3. Tractatus S. Bernardi, vocatus *Scala Clauſtralium*. Fragmentum.

4. Gloſſa ſive expoſitio ſuper ſtatuta ordinis Carthuſiani.

5. Epiſtolæ quædam Epiſcoporum & Abbatum tempore R. R. Henrici III. & Edwardi I.

6. Magna Charta, & Charta de Foreſta R. Henrici III.

7. Miſcellanea quædam Monaſterii Abbendonenſis.

X. 1. Vi

X. 1. Vita & martyrium Oswini Regis Deirorum.
2. Calendarium sive Menologium, continens breviculas narrationes de vitis & passionibus Sanctorum, Saxonice. Inter quam plurimos alios agitur:
1. De S. Fursæo.
2. De S. Cedda.
3. De S. Easterwino.
4. De S. Eadberto.
5. De S. Gregorio Papa.
6. De S. Cuthberto.
7. De S. Benedicto.
8. De S. Guthlaco.
9. De S. Æthelwaldo.
10. De S. Georgio.
11. De S. Wilfrido.
12. De S. Augustino Monacho.
13. De S. Columba.
14. De S. Joanne de Beverlaco.
15. De S. Albano.
16. De S. Ætheldrytha Regina.
17. De S. Germano.
18. De S. Oswaldo.
19. De S. Ceolfrido.
20. De S. Æthelburga.
21. De S. Cuthberto.
22. De S. Lupulo.
23. De S. Winnoco.
Mutilum est in fine: desinit enim xi. die Novembris. Præmittuntur singulis mensibus præfatiunculæ, in quibus de eorundem nominibus Saxonicis agitur. Liber pulchre & accurate descriptus.

XI. 1. Historia Ailredi Rievallensis inscripta Regi Henrico II. in qua continetur de Davidis, Regis Scotorum, pietate & virtute oratio quasi funebris & laudatoria: deinde genealogia ejusdem Regis a Regibus Saxonicis & Normannicis hic in Anglia regnantibus deducitur, quorum gesta recensuit Auctor.
2. Compendiaria narratio Regum Angliæ a Bruto usque ad Regem Joannem tempore Aluredi; quis illum & successores consecraverit, & ubi solennitas ista peracta fuerit, continua serie narratur.
3. Genealogia S. Edwardi, Regis Anglorum & Confessoris, a Sema, filio Noachi; in qua breviculæ narrationes de successione Regum Angliæ usque ad mortem Haraldi, filii Comitis Godwini.
4. Benedictus Abbas Petroburgensis de vita & gestis Regis Henrici II. Incipit ab anno 1170. Liber, ob documenta & narrationes de consiliis politicis & Ecclesiasticis istorum temporum, magni faciendus: è quo multa exscripserunt Johannes Bromptonus & Rogerus Hovedenus.
5. Pictura de cæde Thomæ, Archiepiscopi Cantuariensis, ad altare habitu sacro ministrantis.
6. Versus Serlonis de contemptu mundi.
7. Vita S. Thomæ, Archiepiscopi & martyris Cantuariensis, per Gulielmum Fitz-Stephanum, vel potius, ut annotavit vir quidam doctus, per Joannem Carnotensem in Quadrilogo, cujus verba in hac vita crebro reperiri possunt. In fine pictura ejus sepulturam a Monachis peractam repræsentans. Liber S. Mariæ de Bellalanda. Dedit H. Savilius A. 1609.

B

I. 1. The names of the Wardens, Ballives, Mayors, and Sheriffs of London, from the first year of King Richard the First, who was crowned 3. September 1189. to the 23. year of King Edward the Fourth; with a brief account of the most remarkable accidents during that interval.
2. The title of King Henry IV. and of King Henry VII. to the Crown of England, confirmed in Parliament; the former in the seventh year of his reign, the latter in the first year.
3. Names of Mayors in King Henry VIII. his reign.
4. Proclamation of Peace made between King Henry VI. and the King of France, in English and French; with the names of the Commissioners and Ambassadors of France, and of such as were appointed to meet them, and also of those, who were to attend the King.
5. Creations made in the ninth, and in the twenty first year of King Richard the Second.

II. 1. Names of the Custodes, Ballives, Mayors, and Sheriffs of the City of London, from the time of King Richard the First A. C. 1189. to the tenth year of King Henry VI. and afterwards to the thirteenth; with accounts of the remarkable accidents, in the way of a short Chronicle.
2. Ordinances made for the reception of King Henry VI. in London upon his return from France, with the manner of it; in verse.

III. 1. Gulielmi Rede Episcopi Cicestrensis Chronica de Pontificibus à S. Petro ad Gregorium XI.
2. De dignitate & titulis Cardinalium.
3. Breve Chronicon ab Adamo ad Julium Cæsarem.
4. De imperatoribus Romanis à Julio Cæsare ad Carolum, successorem Ludovici Bavari.
5. Historia Archiepiscoporum Cantuariensium a B. Augustino ad Gulielmum de Witlesèye.
6. Nomina Episcopatuum Romano pontifici subditorum.
7. Sacræ reliquiæ Ecclesiæ Lateranensis.
8. Bulla Gregorii P. R. de denariis Petri in Anglia.
9. Chronicon a Bruto ad annum 1367.
Gulielmus Rede S. T. D. sub Urbano factus est Episcopus anno Christi 1368. v. fol. 23. Dicitur vero fol. 15. b. Chronici primi de pontificibus Romanis Auctorem fuisse Ricardum, Monachum Cluniacensem, usque ad Innocentium tertium P. In initio præmittitur brevicula narratio de fun-

 datione

datione Ecclesiæ Christi Cantuariensis.

IV. 1. Consuetudines, libertates, & statuta de quinque Portubus, partim Latine, partim Gallice.

2. Interseritur modus tenendi Parliamentum.

V. The laws and customs of Sandwich.

VI. Liber de rebus Britanniæ minoris in Gallia, qu[illegible] ten[illegible] ad Ang[illegible]am [illegible]bant, a tempore R. Edwar[illegible] [illegible] R. Edwardum quartum, in [illegible] multæ [illegible]riginales chartæ [illegible]ur.

VII. 1. Ve[illegible]ium.

2. S. Amb[illegible] de grad[illegible]s virtutum.

3. Mart[illegible]ium Bedæ [illegible]teri.

4. V[illegible]us diem Paschæ denot[illegible]ntes.

5. I[illegible] nodalia Norwic[illegible]nsis Diœceseos: Br[illegible] nempe, preces, & lectiones de Sanctor[illegible]n vitis contin[illegible]n. Incipit a S. Felice [illegible]piscopo, & Confessore.

VIII. Fleta. Liber bene & emendate scriptus.

IX. A R[illegible]er of commissions, grants, and letters patents passed under [illegible] Great Seal, during the Cancellorship of [illegible]mas Goodrick Bishop of Ely, who wa[illegible] made so the 22*d*. day of December 1551. in the fifth y[illegible] of King Edward VI. with an account pr[illegible], how the G[illegible]at Seal was delivered, and to whom, by the Lord Rich, his immediate predecessor. The whole written by John Wye, Secretary to that Bishop.

X. Deest.

XI. 1. Repertorium, sive Index Alphabeticus nobilium familiarum in Anglia, quæ reperiuntur in libris Collegii Heraldorum, London. Inter hos libros recensentur ii, quos D. Camdenus suis successoribus legavit.

2. Icon stemmatis a patre ad tritavi patrem ascendendo } in linea recta.
a patre ad trinepotis filium }

Et sic in linea collaterali, una cum arbore consanguinitatis.

XII. 1. Names of such as came into England with King William the Conqueror: in circles. At the top, in a circle, Margaret, daughter to Edward, right heir of England, wife to Malcolme King of Scotland: with some verses of Lidgate.

2. Les furnames & les lynages de grands de ceux, que vendroinct ou William le Conquerour en England.

3. The ordering of a funeral for a Nobleman in King Henry VII's. time.

4. Memoires relating to the five first years of King Henry VII. containing an account of the progress of King Henry VII. after his Coronation and first Parliament, into the North parts of England, and of his reception at York.

5. The ch[illegible]ning of Prince Arthur, son to King Henry VII. with the ceremonies then used.

6. A list of the Bannerets made by King Henry VII. at the battle of Newark.

7. Coronation of Queen Elizabeth, wife to King Henry VII. in the third year of his reign, with all the solemnity of it; and an account of the several claims of Noblemen at that solemnity.

8. An account of King Henry VII. k[illegible]ing his Christmass at Greenwich in the t[illegible]d year of his reign.

9. ----- the feasts of East[illegible] S. G[illegible] at Windsor the same y[illegible]

10. ----- of Whitsun[illegible]le at the [illegible]c.

11. Creation of Arthur Prince of W[illegible] in the fifth year of King Henry VII [illegible]h many other cu[illegible]ous things, as far as [illegible] the fifth year of that reign.

12. Inquisitio de gubernatione militum Templariorum in Anglia.

13. Creation of Henry Duke of York anno X. Regis Henrici VII. w[illegible]h t[illegible] whole solemnity of it.

14. Literæ patentes R. Edwardi IV in quibus concedit fratri suo Ricard[illegible] Duci Glocestriæ, maneria & dominia i[illegible]bia, & Cantio, aliisque Ang[illegible]æ [illegible] & officia.

15. Charta libertatum honoris de Richmond anno xxiv. Henrici VI.

16. Wardenship of Carlisle and the w[illegible] marches, granted to Richard Earl of Warwick by King Edward IV.

17. Act of Parliament, that George Duke of Clarence, and Richard Duke of Gloucester shall possess and enjoy in right of their wives, the estate belonging to Ann Countess of Warwick.

18. A partition of these lands made between the two Dukes.

19. Officium vice-comitatus Cumbriæ, concessum Ricardo Duci Glocestriæ pro termino vitæ.

20. Relaxatio terrarum, &c. facta Rodulpho comiti de Westmorlandia.

21. Officium Constabularii, concessum Ricardo Duci Glocestriæ.

22. Revocatio & adnullatio processus contra ambos Hugones D' Espenser, patrem & filium, ex rotulo Parlamenti, vicesimo Ricardi secundi anno; & transcriptum judicii de iisdem, missum Justitiariis & Baronibus Angliæ.

23. Feoda militum D. Radulphi de Nevil de manerio suo de Shirefhoton in comitatu Eboracensi.

24. The order of the Nobility in their gowings and fittings according to their estates.

25. The Lords, as they sate in Parliament house in King Henry VI's time.

26. Quædam brevia de custodia & maritagio Ricardi Fenys, Domini de Say, & Georgii de Nevil, concessa Ricardo Duci Gloucestriæ à R. Edwardo IV.

27. The marriage and issue of Thomas Chandos.

28. Literæ patentes, in quibus conceduntur a Rege Edwardo VI. maneria de [illegible]arley, Heightsbury, & Teffont Ricardo Duci Glocestriæ.

29. Breve Escheatoris citra Trentham, directum

rectum pro terris & tenementis Hugoni le D'espenser liberandis.

30. Prior pars Hugoni le D'espenser & Elianoræ uxoris ejus honoris Glocestriæ, continens maneria, cum feodis & advocationibus Ecclesiarum & domorum Religiosarum, in Anglia, Wallia, & Hibernia.

31. Extenta terrarum, quæ fuerunt quondam R. comitis Glocestriæ, facta per Joannem de Covel & Ricardum de Stanes, anno XLVI. R. Henrici III.

32. Placita inter Thomam de Bello-campo, comitem Warwick, & Johannem de Mowbray de Axiholme, de castro de Swensey, & terris de Gowerland in Wallia.

33. Charta R. Edwardi III. Willielmo de Monteacuto, comiti Sarum, & Catharinæ uxori ejus de castro de Sherborne in comitatu Dorset, & de multis aliis maneriis & terris 12. anno regni ejus.

34. Charta creationis Willielmi de Monte acuto anno 12. R. Edwardi III.

35. Clausula Acti Parlamenti pro Alicia Comitissa Sarum, cum acto resumptionis, anno 13. R. Edwardi IV. Anglice.

36. An Act of attainder against Richard Wells, Robert Wells, and Thomas de le Launde, passed 12. March, anno 10. R. Edwardi IV.

37. An Act of attainder of John Earl of Oxford, George Veere, and Thomas Veere, passed 14. April anno XI. R. Edwardi IV.

38. An exchange of the Castle and Mannor of Elwell in Wales, between King Edward IV. and Richard Duke of Gloucester.

39. Perdonatio Ricardi Ducis Glocestriæ.

40. Act of Parliament concerning the mannors of Chesterfield and Scarsdale, 12. anno R. Edwardi IV. and concerning the Castle and mannor of Scarburg.

41. Inquisitio forestæ de Inglewood, facta anno LVI. R. Henrici III.

42. Charta Regis Edwardi I. de foresta.

43. Literæ Ricardi Ducis Gloucestriæ, in quibus Robertus Portington constituitur ejus Attornatus.

44. The descent of the families of the Seymours.

45. Literæ patentes R. Edwardi pro finibus & feodis non solvendis.

46. Feoffamenta terrarum Elizabethæ comitissæ Oxon. traditarum Ric. Duci Gloucestriæ.

47. Chartæ ad terras Hungerford spectantes.

48. The restitution in blood of Richard Earl of Cambridge, and of Alice Countess of Sarum.

49. Finalis concordia de maneriis de Midleham & Sherefhoton, facta per Jacobum Ratcliff militem & Catharinam uxorem ejus.

50. Of the family of Fitz-William.

51. Concessio castri & manerii de Chirk & Chirkeland, infra marchiam Walliæ, & de Wilmington in Cantio, Gulielmo Stanley militi.

52. Concessio Shiptonæ in Craven Ricardo Duci Gloucestriæ.

53. The families of Charlton and Bourchier.

54. The descent of the Kings of England and Dukes of Normandy.

55. Valor reddituum comitis Richmond æ anno 1309.

56. Inquisitio de terris Willielmi Baronis Roos anno 26. R. Edwardi III.

57. Inquisitio de terris Joannis Ducis Britanniæ & comitis Richemundiæ.

58. Concessio cujusdam palagii de Southampton, facta per R. Ricardum Thomæ de Bello-campo, comiti Warwick.

59. Inquisitio de Joanne Nevill milite de Raby XII. anno R. Ricardi II.

60. Charta R. Henrici . . . Willielmo de Monteacuto, comiti Sarum, & Catharinæ uxori ejus de diversis terris.

61. Inquisitio de Radulpho comite Westmorlandiæ, anno 4. R. Henrici VI.

62. Inquisitio de Joanna comitissa Westmorlandiæ, anno 19.

63. Inquisitio de Joanna, Duce Lancastriæ, anno 19.

64. Inquisitio altera Joannæ, Comitissæ Westmorlandiæ, anno 19.

65. Inquisitio de Henrico Beauford, Duce Somerset, anno 8. R. Edwardi IV.

66. Inquisitio de Waltero Hungerford milite anno XIII. R. Edwardi IV.

67. The descent of the family of Savile.

68. Fees belonging to the Justice of the forest of Galteres.

69. Charta R. E. Edmundo, comiti Cantii, avunculo suo, 21. anno.

70. Commissio R. Edwardi IV. data Ricardo Duci Gloucestriæ, ut sit locumtenens ejus generalis in expeditione contra Scotos, anno 22.

71. De prosapia Hugonis, comitis de Chester, Gallice.

72. De prosapia Hugonis de Albenaco, comitis de Arundel.

73. The descent of the family of Fitz-Williams of Sprotsborough.

74. Commissio R. Henrici : : ad audiendum & determinandum de diversis proditionibus, &c. in comitatu Eboracensi, Northumbr. Cumberl. & Westmorland.

75. Petition of Ann Countess of Warwick to the Commons in Parliament.

76. Petition of Richard Duke of Gloucester and Elizabeth Countess of Oxon. his wife, to William Bishop of Ely, with the answer of the said Bishop about certain lands.

XIII. 1. Historia Rogeri Walden ab orbe condito tabulis chronologicis digesta, cum serie Romanorum pontificum ad Honorium, & imperatorum Romanorum ad Joannem Porphyrogennetum.

2. Alius index imperatorum & pontificum, usque ad Innocentium papam.

3. Alius index chronologicus a Christo nato ad annum 249.

4. Giraldi Cambrensis Liber de principis instructione, in tres distinctiones, ut appellat Auctor, divisus; pars prima plane ethica est,

eſt, in qua tamen multa interſeruntur de Romanis imperatoribus. In duabus ultimis diſtinctionibus agit de regibus Angliæ, & præſertim de geſtis R. Henrici ſecundi, in quem alioſque e Normannica proſapia Principes Satyrice invehitur.

C

I. 1. Epitome libri cenſualis, viz. Doomſday-book in Scaccario repoſiti & ſcripti, A. 1086.

2. Sylloge inquiſitionum captarum tempore R. Edwardi I. in diverſis Angliæ comitatibus. Nomina eorum, qui feoda militaria tenent, illic potiſſimum & ſpeciatim recenſentur, & maneria etiam a D. Rege tenta.

II. 1. Index quorundam feodorum militarium in Scaccario.

2. Placita de jure & aſſiſis in comitatu Cantii, anno 6. R. Edwardi II.

3. Feoda militum in comitatibus Nottinghame, & Derby tempore R. Edwardi I.

4. Excerpta quædam hiſtorica de regibus Saxonicis & Anglis ex Ailredo Rievallenſi, Gulielmo Malmesburienſi, Henrico Huntingdonienſi, aliiſque.

5. Excerpta per Franciſcum Tate, ex libro, cui titulus, *Textus de Eccleſia Roffenſi*, per Ernulphum Epiſcopum, de quibuſdam legibus à R. Æthelberto aliiſque editis. Saxonice.

6. Excepta ex alio antiquo libro de legibus, regnante R. Ethelbredo A. 1008. aliiſque regibus Saxonicis; Saxonice, cum quarundam verſione Latina.

7. Excerpta ex Florentio Wigornienſi.

8. Papers of the foundation of Fountains Abbey in Yorkſhire, and other matters belonging to it, extracted from their regiſters.

9. Index Archiepiſcoporum Cantuarienſium ab Auguſtino Monacho ad Cardinalem Polum, quo tempore & a quibus erant conſecrati, & quot annis ſedebant.

10. Hiſtoria Anglicana heroico carmine conſcripta, auctore Joanne Herdo, medicinæ Doctore, inſcripta D. Gulielmo Cecilio; continet autem regna R. R. Edwardorum IV. & V. Ricardi III. & Henrici VII.

11. Confeſſion of Edmond Earl of Kent, brother of King Edward II.

12. A letter of John Stratford Archbiſhop of Canterbury, ſent to King Edward III. written 1341. with his excuſe or defence againſt ſeveral articles, and the anſwer to it.

13. A letter to the Biſhops againſt that Biſhop.

14. Excerpta ex rotulis Juſtitiariorum de inquiſitionibus factis xx. anno R. Edwardi I. A. 17. R. Edwardi II.

15. Excerpta è regiſtro Scaccarii Durham, Latine & Anglice. Cum aliis collectaneis; ubi multa curioſa de S. Cuthberto & ejuſdem ſedis Epiſcopis, aliiſque miſcellaneis, habentur.

16. Rentale Prioratus de Shene anno 24. R. Henrici VIII.

17. A liſt of the lands of the Abbot of Leſing in Gamlingay.

62. Restitutio portus & villæ de Sandwich Ecclesiæ Dorobernensi & monachis ibi servientibus Deo per Regem Edgarum.
63. Donatio terræ cuidam optimati suo, Æthelredo, per R. Eadwardum.
64. Donatio terræ cuidam fideli Ministro, Ætherico, per R. Canutum, anno 1031. indictione iv.
65. Charta terrarum acquisitarum Ecclesiæ Cantuariensi per Archiepiscopos, Eadsigum, & Ceolnothum, Saxonice.
66. Donatio terræ cuidam fideli Ministro, Ealdhere, per R. Ethelwulfum, anno 852. indict. i.
67. Donatio terræ apud Sceldesfordam Monachis Cantuariensibus per Wulfridum Archiepiscopum.
68. Donatio terræ duobus fratribus, Ordhelmo, & Alfpoldo, per R. Eadmundum, anno 946. indict. iv.
69. Donatio terræ Wulfredo Archiepiscopo per R. Coenwulfum, anno 814. indict. iv.
70. Donatio terræ Wulfredo Archiepiscopo per R. Coenuulfum, anno 823. indict. i.
71. Donatio terræ Wulflafo per R. Burgredum & Reginam Æthelswith, anno 869. indict. ii.
72. Donatio terræ Wulfredo Archiepiscopo per R. Coenwulfum, anno 814. indict. vi.
73. Acta restitutionis terrarum Monasterii apud Reculfo, & de reconciliatione discordiarum in Synodali concilio apud Cloveshoum, anno 825. indict. iii. sub R. Beornwulfo, & Wulfredo Archiepiscopo.
74. Venditio terræ apud Stanhamsted Ecclesiæ Christi Cantuariensi per Oswulfum Aldormannum, Saxonice.
75. Chartula Regis Edwardi, confirmans quædam privilegia Leofstan Abbatis & fratrum cœnobii de burgo S. Edmundi.
76. Donatio terræ apud Wurmelea Abbatiæ Westmonasterii per R. Edwardum.
77. Donatio terræ Waldhario Episcopo per Sueabredum regulum East-saxonum & Deogthath Comitem, anno 704. indict. ii.
78. Donatio terræ fidelissimo Ministro, Oswic, per Regem Eadredum, anno 847. indict. v.

79. Chartula de terris privilegiatis Monasterii S. Edmundi de burgo, Saxonice.

80. Charta donationum terræ Monasterio S. Edmundi de burgo, Saxonice.

81. Donatio terrarum apud Pecganham locorumque adjacentium Wilfrido Episcopo per R. Cædwallum, A. D. 680.

82. Donatio terræ Wulfredo, Archiepiscopo, per Withredum Regem Cantii, anno 802. indict. XIII.

83. Donatio terræ basilicæ B. Mariæ genitricis Dei, quæ sita est in loco, qui dicitur Limingæ, per Wihtredum Regem Cantii, indict. XIII.

84. Donatio terræ apud Hamme amico suo, Wighelmo, per R. Ælfredum, anno 875. indict. VIII.

85. Confirmatio terrarum apud Sandwic pertinentium ad Ecclesiam Cantuariensem, Saxonice.

86. Donatio terræ cum centum plaustris onustis de lignis ad coquendum sal Abbæ Presbytero, & Clericis B. Mariæ, per R. Æthelbertum, Anno regni septimo, indict. XV.

87. Venditio terræ Ceolnotho, Archiepiscopo, per Lufam, ancillam Dei, Saxonice.

88. Donatio terræ Wulfredo, venerabili Archiepiscopo, per R. Ceolwulfum, anno 822. indict. XII.

89. Donatio terræ Wulfrido, Archiepiscopo, per R. Wiglafum.

90. Donatio unius sedis in loco, qui dicitur S. Martini Ecclesia, & villulæ modicæ ad eandem sedem, fideli suo amico, Wighelmo, per Regem Æthelredum, anno 867. indictione XV.

91. Donatio terrarum in provincia Cantiæ Pastori & familiæ & Ecclesiæ Christi Cantuariensi, per R. Coenulfum & Reginam Cenegitham, conjugem suam, Indict. VII. anno regni tertio.

92. Donatio terræ Oswulfo Duci & Ministro suo per R. Coenuulfum.

93. Donatio prædictæ marisçæ monasterio apud Liminge per Oswulfum Ducem: Scripta in eadem charta cum priori.

94. Donatio terræ fideli suo Ministro, Eadwulfo, per R. Coenuulfum, anno 804. indictione XII.

95. Donatio terræ Jaenberhto, Archiepiscopo, per R. Offam, anno 774.

96. Donatio terræ Æthelnotho, præfecto suo fidelissimo, pro competenti pecunia per Withredum, Cantuariorum Archiepiscopum, cum consensu Coenuulfi Regis.

97. Donatio capturæ piscium in ostio fluminis Liminaea, & partis agri, in qua situm est oratorium S. Martini, &c. Monasterio & Ecclesiæ B. V. Mariæ in Liminlaeae, Cuthberto, Archiepiscopo, tunc Abbate, per Æthilbhertum Regem Cantiæ, anno 741. indict. III.

98. Donatio terræ Ecclesiæ B. genitricis Dei Abbati, sociisque suis, per R. Eegberhtum, anno 733.

99. Petitio Prælatorum Hiberniæ.

100. Inventarium rerum pretiosarum, quæ thesauri regii pars erant, in camera *dessous*, (an capella in turri Londinensi?) repertarum XIX. anno R. Edwardi II. per W. Eboracensem Archiepiscopum, Angliæ Thesaurarium, aliosque, Gallice.

101. Charta Regis Joannis de libertatibus Angliæ: data in prato, quod vocatur Ronimede, 15. die Junii, anno regni decimo septimo.

102. Contractus (qui starrum appellatur) Ebraice conscriptus, anno decimo quarto R. Edwardi I.

103. Inventarium vessallamentorum & jocalium in quibusdam armariolis, aliarumque thesauri regii appendicum; *viz.* coronæ, gemmarum, annulorumque, vestium, & crucium in quodam coffro capellæ, & in superiore camera turris, factum jussu R. Edwardi III.

III. Liber continens varias figurationes exercituum in acie pugnantium, tentoriorum, militum, penicillo depictas: & ectypa antiquitatum Romæ repertarum.

IV. Poema, Anglice, magno volumine conscriptum; cujus initium:

O mighty Mars that with thy sterne fight,
On armies hast the power and the might.

V. Le tresor des histoires: sive historia generalis a creatione mundi ad tempora Clementis VI. Papæ; in qua etiam continetur descriptio terrarum & regionum mundi, cum elegantibus picturis, Gallice.

VI. Livre des proprietez des choses, translaté de Latin en Francois du commandement Charles le quint, Roy de France, par Maistre Jehan Corbechon, de l'ordre Saint Augustin, l'an de grace 1372.

TIBERIUS A.

I. Alcoranum Mohammedis, elegantissime descriptum.

II. Codex quatuor Evangeliorum: quibus præfiguntur.

1. Epistola S. Hieronymi ad Damasum P.
2. Prologus quatuor Evangeliorum.
3. Epistola Eusebii ad Carpianum.
4. Hieronymi epistola alia ad Damasum Papam.
5. Argumentum Evang. secundum Matthæum; cæteris quoque Evangeliis præfigitur argumentum proprium.
6. Breviarius ejusdem: *h. e.* syllabus Capitulorum.
7. Charta, qua R. Æthelstanus donat terram Folcestan in Cantia Ecclesiæ Christi in Dorobernia, sitam super mare, ubi quondam fuit Monasterium, & Abbatia SS. Virginum; ubi etiam sepulta est Sancta Eanswitha, ipsius, & Episcoporum subscriptionibus signata, anno 927.
8. Versus in laudem Æthelstani.

9. Declara-

9. Declaratio Regis Æthelstani in qua librum hunc Ecclesiæ Christi dedicat.

10. Tabulæ canonum Eusebianorum, cum figuris Evangelistarum, & usitatis symbolis, *hominis, leonis, bovis, & aquilæ.*
Hoc Matthæus agens hominem generaliter implet.
Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis.
Jure Sacerdotis Lucas tenet ore juvenci.
More volans aquilæ verbo petit astra Joannes.

1 . In folio titulum Evangelii continente scribitur
Odda Rex
Mihthild mater Regis.

11. Capitulare Evangeliorum de circulo anni.

12. Capitulare Evangeliorum de natalitiis Sanctorum.

13. Capitulare Evangeliorum de diversis caussis, quæ illic recensentur.
Liber ab Æthelstano, ut videtur, regum Angliæ usibus destinatus, quando in coronatione sua juramentum adhiberi solet. Versus vero hoc denotantes recentiori scriptura exarantur.
Saxonidum dux atque decus, primumq; Monarcham Inclitus, Ælfridum qui numeravit avum.
Imperii primas quoties meditantur habenas,
Me voluit sacrum Regibus esse librum.

III. 1. Regularis concordia Anglicæ nationis Monachorum Sanctimonialiumque, capitulis XII. sub Eadgaro Rege, monente Dunstano, ut ipse Rex in prooemio clare innuit. Liber illius tempore scriptus.

2. De somniorum diversitate secundum ordinem Abecdarii Danielis Prophetæ.
Aves in somnis qui viderit, & cum ipsis pugnaverit, lites aliquas significat.
Aves in somnis capere lucrum significat.

3. De observatione Lunæ, (*h. e.* ætatis ejus per singulos dies mensis) & quæ cavenda sunt.

4. Prognostica de iis, quæ in unaquaque luna nascuntur.

5. Prognostica ex tonitribus.
Hæc omnia, cum versione Saxonica interlineari.

6. Prognostica ex insomniis, & alia de temperie & fertilitate anni: & quædam historica ex scripturis, & de S. Maria Virgine, uti etiam confessio & oratio ad Deum; Saxonice.

7. Forma confessionis peccatorum & absolutionis Sacerdotalis: Latine, & Saxonice, cum aliis orationibus.

8. Ordo confessionis S. Hieronymi, qualiter confiteri debeat Christianus peccata sua, Latine, & Saxonice.

9. Preces ad crucem; & de quatuor caussis quare crux est adoranda.

10. Colloquia inter pueros, discere cupientes loqui Latine, & præceptorem, Saxonice, & Latine.

11. Prognostica de nativitate infantum ex lunis, in quibus nascuntur.

12. De primo die seculi, sive de æquinoctio vernali, Saxonice. Sub hoc titulo astronomica quædam & Physica continentur.

13. Ordo vel examinatio in ordinatione Episcopi.

14. Be ꞅẏnna lecnunga, be læꞅꞇꞃa ꝺæꝺboꞇe, be ꝺæꝺboꞇum.

15. Monasterialia indicia.

16. De XII. pretiosis lapidibus in Apocalypsi memoratis, Saxonice.

17. Quæ sunt instrumenta bonorum operum, Latine & Saxonice.

18. Beȝe cẏꞃꞃeꞇꞃeꞅꞅe be ꞅunꞃunꞇnge.

19. Votiva laus in veneratione S. Mariæ Virginis, Latine.

20. Magna Litania, cum orationibus, Latine.

21. Regulæ B. Benedicti Abbatis, patris Monachorum, Militum Christi, de generibus eorum vel vita, Latine, cum versione Saxonica interlineari.

22. De festivitatibus anni.

23. Regulæ compositæ A. D. D. CCCXVII. imperii gloriosissimi Principis Ludovici, quarto, VI. Idus Julii, Aquisgrani, à quamplurimis Abbatibus, inviolabiliter a Regularibus observandæ: *h. e.* a Benedictinis.

24. Consuetudo Monachorum per Æthelwardum, Wintoniensem Episcopum, Saxonice.

25. Horologium horarum, Saxonice.

26. Oratio post missam impletam.

IV. 1. Joannis Gower Chronica, quæ *vox clamantis* dicitur; sive poema de insurrectione rusticorum contra ingenuos & nobiles tempore R. Ricardi II. & de causis, ex quibus talia contingunt enormia: libris septem.

2. Chronica tripartita de depositione R. Ricardi II. & coronatione R. Henrici IV. tribus partibus.

3. Carmen, unde magnificus Rex noster Henricus apud Deum & homines cum omni benedictione glorificetur.

4. Epistola brevis, unde virtutes Regiæ morales ad suum regimen ampliori memoria dirigantur.

5. Carmen super multiplici vitiorum pestilentia, unde tempore Ricardi II. partes nostræ specialius inficiebantur.

6. Contra Dæmonis astutiam in causa Lollardiæ.

7. Contra mentis sævitiam in causa superbiæ.

8. Contra carnis lasciviam in causa concupiscentiæ.

9. Contra mundi fallaciam in causa perjurii & avaritiæ.

10. Tractatus de lucis scrutinio, quam vitiorum tenebræ suffocarunt.

11. De libris Joannis Gower.

12. Versus in laudem Joannis Gower, illiusque librorum.

13. Epitaphium Joannis Gower.

14. Ejusdem versus alii.

V. De antiquitate vetustæ Ecclesiæ B. Mariæ Glastoniæ, & de quadam augmentatione, quam S. David Divina revelatione adjecit, & in honore B. Mariæ consecravit. Ubi agitur de Sanctis ibi quiescentibus, reliquiis ibidem reconditis, de terris & possessionibus ejusdem, de S. Josepho Arimathæensi, & de S. Patricio, de Abbatibus usque

ad tempora R. Edwardi III. Auctore Joanne illius Abbatiæ confratre & Monacho, qui, ut ipse fatetur in prologo, Gulielmi Malmesburiensis, illius antiquitates ab adventu S. Josephi ad annum 1126. describentis, & Adæ de Domexham, ejusdem cœnobii Monachi, eas inde ad annum 1290. deducentis, libros defloravit, & ad annum 1400. historiam continuavit.

VI. 1. Chronicon a Christo incarnato ad annum 977. Saxonice.
2. De portione crucis reperta a Sergio Papa in capsa argentea in sacrario B. Petri.
3. Qui Papæ miserunt pallium Archiepiscopis Cantuariensibus.
4. Inquisitio terrarum Angliæ, quomodo Barones Regis inquirunt, quid quisque tenuerit vel teneat. Totum hoc factum tripliciter, scil. tempore Regis Edwardi, & quando R. Willielmus dedit, & quomodo sit modo.
5. Chartæ & epistolæ Regum, *viz.* Eadgari, Æthelredi, Eadwardi, aliorumque, Paparum, & Episcoporum continentes privilegia Ecclesiæ Eliensi concessa.
6. Chronica Angliæ ab Hardecanuto ad vicesimum annum Regis Edwardi III. Gallice.

VII. 1. Chronica Martini, D. Papæ Pænitentiarii & Capellani, de gestis summorum Pontificum & Imperatorum.
2. Historiola de resignatione papatus per Papam Cœlestinum anno 1294.
3. Notæ quædam breves de conditionibus gentis Anglorum, & de incolarum moribus abusivis.
4. The Pilgrim; a poem in old English verse, with pictures; *h. e.* Poema, in quo *Peregrinum* colloquium habere cum virtutibus & vitiis, gratia Dei, Satana, &c. fingit Poeta.
5. Catalogus Archiepiscoporum Cantuariæ a B. Augustino ad Ricardum Bancroft.
6. Catalogus Episcoporum Londinensium a Mellito ad Edwinum Sandes.
7. Chronicon Angliæ ab Ascanio, Æneæ filio, ad R. Edwardum tertium.
8. Versus quidam Prosperi, charactere antiquo, cum versione Saxonica interlineari.
9. Fragmentum de Thoma Archiepiscopo Eboracensi, & successoribus ejus.

VIII. Liber fratris Joannis, ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini ad R. Henricum Regem Angliæ, de laudibus eorum, qui nomen Henrici sortiuntur, in tres partes divisus; in quarum prima agit de sex Henricis Imperatoribus, eorumque gestis imperialibus; in secunda de sex Regibus Angliæ Henricis; in tertia de hujus nominis illustribus viris toto orbe dispersis, puta de Henrico Rege Dacorum, de Henrico Rege Franciæ, de Henrico filio Ricardi R. Romanorum, & Imperatoris Almanniæ; de Henrico comite Campaniæ, & postea Rege Jerosolymorum, de Henrico germano Lodewici Regis Franciæ, de Henrico duce Lancastriæ; de Henrico Bohun comite Herfordiæ, de Henrico de Bello monte, de Henrico le Spenser, Episcopo Norwicensi, de Henrico Archidiacono Huntingdonensi, de Henrico Archidiacono de Gandavo, & de Henrico de Urinaria, de ordine Heremitarum S. Augustini. Cum picturis eorundem.

IX. 1. Prophetiæ Merlini.
2. De mirabilibus Britanniæ.
3. Abbreviatio de gestis Normannorum ad Gulielmum primum Regem Angliæ.
4. Qualiter Danemarchia multos procreaverit, qui regnum Francorum ab omni parte vastaverunt, incenderunt, subjugaverunt: libris octo, cum supplementis.
5. Miscellanea de Carolo Simplice, de comitibus Andegavorum, de Regibus Jerusalem, de Synodis universalibus & generalibus, (ita enim distinguuntur) de comitibus Flandrensibus, de principibus Normannorum in Apulia; de viris illustribus, quo tempore scripserunt de nominibus Regionum IX. continentium intra se provincias CXIII. Radulphi de Diceto & Joannis Lugdunensis Episcopi Epistolæ de dignitate sedis Lugdunensis; de Gallis, & de situ & laudibus Britanniæ, ex diversis Auctoribus; de Jerusalem afflictionibus & subversionibus; de Romanis Pontificibus ad Alexandrum, successorem Innocentii; de Archiepiscopis Cantuariensibus, aliisque Episcopis Angliæ. Epistola Alexandri Papæ ad Henricum Regem Angliæ, cum duabus aliis. Querela cujusdam Papæ de injuriis sedi Romanæ illatis, regnante Henrico III. De Imperatoribus Romanis, Francis, Constantinopolitanis; de Regibus Assyriis, Persis, aliisque.
6. Annales de gestis Britonum, Saxonum, Danorum, & Normannorum ad annum 1347. per Thom. Wycke, Canonicum de Osneya.
7. Indiculus supellectilis sacræ, & vasorum Monasterii de Osneya.
8. Prophetiæ Merlini, Gallice.
9. De Edmundo de Wodestoche, comite Cantiæ.
10. De inceptione ordinis Carthusiensis.
11. Tabulæ quædam computisticæ.
12. Vitæ Abbatum Monasterii S. Augustini Cantuariæ a Petro Abbate primo, anno 607. ad Rogerum II. anno 1252. ubi multa historica de Anglia referuntur. In fine accedunt bullæ Papales ad eandem Abbatiam spectantes. Q. annon Gulielmus Thorne sit Auctor?

X. 1. Decretum Archiepiscopi Cantuariensis de decimis omnium fructuum & aliarum rerum solvendis.
2. De longitudine & latitudine Angliæ, quot comitatus, leges, quibus isti reguntur, quot viæ publicæ, quot Archiepiscopatus, & Episcopatus.
3. Chronicon prioratus Dunstapliæ ab initio mundi ad annum 1297.
4. Bulla Honorii III. Papæ de plenaria remissione apud Cantuariam in quinquagesimo anno translationis S. Thomæ.

5. Quot

5. Quot Ecclesiæ parochiales, villæ, comitatus, & feoda militaria in Anglia.
6. Summa expensarum circa coronationem Regis Edwardi III.
7. Constitutio Thomæ Arundel, Archiepiscopi Cantuariensis, de jejunio in vigilia S. Matthiæ.
8. Epistola Clementis VI. P. ad R. Edwardum III. de bello, quod gessit contra Philippum, Regem Galliæ.
9. Responsio R. Edwardi ad eandem, Gallice.
10. Placita litis inter Comitem Warrenum, Mareschallum D. Regis, & Prioratum Dunstapliæ de tribus equis, quos ille vendicavit pro honorario, quando novus Prior creatus est.
11. Placita Aulæ apud Wanburne de clerico mercati infra virgam ejusdem, cum aliis placitis & actis publicis ad eundem Prioratum spectantibus.
12. Epistola decretalis, quod nullus secularis plus quam duo beneficia possit obtinere.
13. Bulla Gregorii Papæ, in qua cuique confessorem tempore pestis, quæ tum grassata est, eligendi facultas conceditur, cum plena peccatorum remissione.
14. De morte Simonis Archiepiscopi Cantuariensis, & D. Roberti Hales Prioris S. Joannis London, anno 1381.
15. Feoda militum, quæ tenentur de D. Rege in comitatu Bedford.
16. Feoda militum, quæ tenentur de D. Rege in comitatu Buckingh.
17. Proclamation of King Henry the sixth at Dunstaple in the 37. year of his reign, anno 1459. that no man should be adherent to any Lord, or go with him, except he be the said Lord's menial man in houshold.
18. Acta in Scaccario anno XV. R. Ricardi II. de juribus & immunitatibus Prioratus de Dunstaple assertis.
19. Liber exceptionum Magistri Ricardi, Canonici S. victoris Parisiacensis, de artibus, de creatione mundi, de tribus partibus mundi, de patriarchis & judicibus, aliisque ex historia sacra, de regnis mundi, de Imperatoribus Romanis, Regibus Francis, de gente Normannorum, & successoribus Caroli, & de Regibus Persarum, & Græcorum.
20. Liber de temporibus mundi, secundum Isidorum.
21. Liber de Imperatoribus Romanis & Apostolicis viris, & pluribus regibus Anglorum, & Prælatis Ecclesiæ a nativitate Christi ad annum 1312. Scriptus, ut quispiam titulo prænotavit, a quodam Monacho de Lewis.
22. Nomina Romanorum Pontificum a S. Petro ad Clementem VI.
23. Nomina Regum Angliæ ad R. Ricardum tertium: & quot annis regnarunt.
24. Nomina Abbatum Cluniacensium: *h. e.* a Bernone primo Abbate ad Bertrandum.
25. Nomina Priorum Montis acuti a Waltero primo Priore ad Robertum Cryche tricesimum octavum.
26. Breviarium Imperatorum Romanorum, & pontificum, & deinde regum Angliæ ab Edmundo ad R. Edwardum I.

XI. Registrum Chartarum Abbatiæ S. Mariæ Virginis juxta Dublin. Donum viri clarissimi D. Jacobi Waræi.

XII. 1. Explanatio Lamentationum Jeremiæ prophetæ per Willielmum Meldunensem monachum: *h. e.* Malmesburiensem. Rationem prioris appellationis vide in fine commentarii.
2. De epistolis formatis, & literis, quibus in iis efformandis utuntur.
3. Quomodo scribi solebant privilegia Pontificum.
4. Alexander Neckam de S. Albano super Ecclesiasten de vanitate humanæ fragilitatis.
Liber S. Mariæ de Eygnesham juxta Oxon.

XIII. 1. Registrum continens chartas vetustas, tum Latine, tum Saxonice, regum Saxonicorum, præsertim Merciorum, quibus terræ, possessiones, privilegia, & immunitates Monasterio S. Mariæ in Wigorniæ civitate donantur.
Librum hunc præclarissimum, vel majorem illius partem, scripsit, ut ipse testatur, Hemingus, ejusdem Monasterii monachus & Sacerdos; cujus verba sunt: *Multorum antiquorum hominum & maxime Domini Wlstani Episcopi, piissimi patris nostri, edoctus relatione & corroboratus auctoritate*; *quædam etiam ex nostra memoria ipsemet, quibus aut interfui, aut quæ nostra ætate facta sunt, intermiscui.*— ut cætera omittam. Wulstanus autem floruit sub tempore regis Gulielmi I.
2. Nomina Episcoporum hujus Ecclesiæ, cum terris, quas ipsi Monachis Deo & S. Mariæ servientibus, concesserunt, *h. e.* a Seaxulfo primo Episcopo ad Simonem, qui erat vicesimus sextus Episcopus.
3. Libellus de terris & possessionibus Ecclesiæ Wigorniensi competentibus, quem piissimus & reverendissimus Wlstanus Episcopus scribi fecit, utilitati consulens successorum suorum; partim Latine, partim Saxonice.

XIV. Bedæ Ecclesiastica historia gentis Anglorum, Latine, sed characteribus Saxonicis.

XV. 1. Epistolæ Alcuini sive Albini Magistri. Inseruntur quædam aliæ epistolæ, *viz.* Alcheredi anachoretæ, Sergii & Pauli P. P. Romanorum, Caroli Regis ad Imperatorem Constantinopoleos, aliorumque.
2. Charta fundationis S. Mariæ Cæsaris Burgensis Ecclesiæ per Gulielmum ducem Normannorum & uxorem suam Mahiltle, *i. e.* Matilden.
3. Fragmentum Theologicum, characteribus vetustis, & a festinante scriba exaratis.
4. Commentarius Ricardi Hampole Heremitæ in Apocalypsin D. Joannis.
5. Tractatus Ricardi Heremitæ de vita activa & contemplativa.
6. Officium de S. Ricardo Heremita, postquam fuerit ab Ecclesia canonizatus; in quo quædam de ipsius vita & miraculis.
Obiit ille Ricardus in festo S. Michaelis Archangeli, A. D. 1349.

B

I. 1. Orosius, Saxonice, ex interpretatione R. Alfredi.
2. Tractatulus de mensibus & festis anni, Saxonice.
3. Chronicon a Julio Cæsare ad annum 1066. Saxonice. Liber pulchre & emendate scriptus.

II. 1. Vita & passio S. Edmundi per Abbonem Floriacensem Monachum, ad S. Dunstanum Dorobernensium Ecclesiæ Archiepiscopum. Scripta erat hæc vita ad instantiam Regis Ætheldredi, & S. Dunstani Archiepiscopi circa annum Christi 985.
2. Ejusdem miracula ab Hermanno Archidiacono scripta tempore Baldewini Abbatis circa annum Christi 1070. Multa inibi de Abbatia S. Edmundi occurrunt, & de Abbate Baldewino, tempore R. Gulielmi I.
3. Liber de inquisitionibus maneriorum Episcopatus Eliensis factis tempore Joannis Episcopi, anno consecrationis suæ secundo.
4. Æstimatio Ecclesiarum Episcopatus Eliensis cum vicariis, & quantitas vicesimæ, redditus assisus Episcopatus Eliensis, & de feodatis; computus Sacristæ & aliorum de receptis & expensis; milites, quos R. Brigot & alii tenent de Episcopo Eliensi: charta libertatum Eliensi Ecclesiæ concessarum per Regem Henricum.
5. Finales quædam concordiæ inter Episcopos Elienses & alios.
6. Charta Monachorum Eliensium, per H. Eliensem Episcopum.

III. 1. Calendarium.
2. Orationes & benedictiones in diebus dominicis & festis, in vigilia & natali unius Confessoris & Martyris, aut plurium, &c. pro Rege, in ordinatione Episcopi, super ancillas Dei, de sponso & sponsa in tempore belli, pro iter agentibus, & pro defunctis.
3. Liber orationum ad crucem, Deum Patrem, Christum, S. Spiritum, Mariam Virginem, S. Joannem Baptistam, Petrum, aliosque Sanctos, metro Anglicano, cum picturis.
4. Oratio ad Ursinum archipræsulem urbis Bituricæ, metro Latino.
5. Liber Odonis, primi Abbatis Cluniacensis, ad Turpinum Pontificem de perversitate pravorum, qui semper in malum succrescentes, Ecclesiasticam censuram contemnunt, &c. & de his, qui divinæ servituti mancipari debuerant, & se prorsus vanæ gloriæ dedicant, & divino cultui simulate deserviunt.

IV. 1. Historia & Annales Britanniæ a Julio Cæsare ad A. C. 1079. Saxonice. Hunc Librum diligenter legit, & cum altero codice MS. contulit vir doctissimus Joannes Joscelinus.
2. Duæ literæ breves R. Canuti de terris & libertatibus concessis Æthelnotho, Archiepiscopo Cantuariensi.
3. De gestis quibusdam Regis Henrici I. annis 1123, 1124, 1125, 1129, 1131. veteri lingua Anglicana, sed characteribus Saxonicis.
4. Chronica Walteri de Gysburne de gestis Regum Angliæ a Rege Gulielmo primo ad 27. annum Regis Edwardi I. *h. e.* ad annum 1300. Desunt autem multa de Rege Edwardo.
5. Historiola de Christo Salvatore, & de Sancto Petro: cui admiscentur Legendariæ narrationes.
6. De Cardinalibus, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis.
7. Numerus Ecclesiarum parochialium, villarum, & feodorum militarium in Anglia.
8. Quædam memorabilia historica.
9. Epistola Hadriani Papæ ad R. Angliæ, commendans zelum ejus in propaganda fide.
10. Provisiones Oxonii, tempore Regis Henrici III.
11. Versus de Electoribus imperii.

V. 1. Calendarium vetustum. Singulis mensibus præfiguntur picturæ tempestatem anni repræsentantes, & ad finem paginæ picturæ quoque signorum Zodiaci, [dies festi versibus hexametris exprimuntur.] Accedunt tabulæ, multaque alia ad computum Ecclesiasticum spectantia.
2. Nomina Pontificum Romanæ urbis per ordinem: *h. e.* a S. Petro ad Adrianum, qui erat CXI.
3. Nomina Imperatorum Romanæ urbis a Julio Cæsare ad Oddam, qui successit Heraclio.
4. Nomina pontificum Hierosolymitanæ urbis veteris Testamenti post captivitatem: & deinde, Episcoporum ejusdem urbis a Jacobo Justo ad Cyrillum martyrem.
5. Nomina Episcoporum Alexandriæ urbis a S. Petro & Marco Evangelista ad Philippum.
6. Nomina pontificum Antiochenæ urbis a Petro Apostolo ad Isidorum martyrem.
7. Nomina Archiepiscoporum Dorobernensium, Episcoporum Roffensium, Hagulstadiensium, Orientalium Saxonum, Australium Saxonum, Occidentalium Saxonum, Scireburnensium, Wiltonensium, Wellensium, Cridiensium, Wicciorum, provinciæ Merciorum, Lindisfarnorum, gentis Northanhumbrorum, Eboracensium, & Casæ candidæ.
8. Index Regum Saxonicorum per varias partes Britanniæ.
9. De Episcopis qui sederunt Ravennæ.
10 De adventu Sigerici Archiepiscopi Cantuariensis ad Romam.
11. Submansiones LXXX. de Roma usque ad mare.
12. Pauca de temporibus Bedæ Presbyteri: *h. e.* ex libro ejus de temporibus, Saxonice.
13. Duo schemata vetustissima repræsentantia globum terraqueum & cœlestem.
14. Oratio ad S. Trinitatem.

15. De

15. De duodecim signis Zodiaci, & celebrioribus syderibus.
16. Iconismi syderum distinctis tabulis repræsentati, cum expositione fabularum de iisdem, prosa oratione, & cum versibus Germanici.
17. De concordia solaris & lunaris motus; de concordia maris & lunæ; de præsagiis tempestatum ex sole, stellis, nubibus, aquis, montibus, arboribus, & avibus.
18. Ambrosii Macrobii Theodosii liber de mensura & magnitudine terræ & circuli, per quem solis iter est.
19. Ejusdem de mensura & magnitudine solis observationes.
20. Felix Capella de mensura lunæ, cum aliis Astronomicis.
21. Fragmentum de S. Nicolao; aliud post sequitur.
22. Liber Periegesis: *i. e.* de situ terræ, Prisciani Grammatici, urbis Romæ, Cæsariensis Doctoris. Præmittitur mappa depicta trium partium mundi.
23. De quadam Gilda seu societate municipum in Cantabrigia statuta quædam & conventiones, Saxonice.
24. Dudda, Brathattæ, atque aliorum in Hethfield progenies. Fragmentum Saxonicum.
25. De S. Nicolao hymnus.
26. Descriptio aliquot locorum in Oriente, præsertim in terra Babyloniæ, ubi monstra quædam, quæ in rerum natura nunquam extitere, fingit fabulosus Auctor, cum eorundem figuris, Latine, & Saxonice.
27. Annotatio Ecclesiarum dotalium Ecclesiæ de Bello, a Waltero Abbate, facta primo anno Regis Henrici junioris.
28. Mundi varii status ex scripturis sacris, quas certis temporibus anni pro varia rerum gestarum ratione legendas signat Auctor, deducti. Liber historicus & geographicus, *h. e.* ab Adamo & Moyse, &c, cum expositione Apocalypseos, & allegorica Psalterii decem chordarum explicatione. Inseruntur illic,
29. Joachimus super Prophetas, ad fratrem Raynerium de Pencio.
30. Notitia accurata Episcopatuum totius orbis, & provinciarum.

VI. Collectanea de actis R. Henrici v. in Gallia, in quibus continentur commissiones de fœderibus & treugis inter ipsum & Regem Franciæ, & de salvis conductibus, propositiones, literæ Martini quinti Papæ, literæ procuratoriæ, approbatoriæ, & confirmatoriæ, copiæ tractatuum & treugarum, formulæ juramenti fidelitatis ab Episcopis, Abbatibus, &c. D. Regi Angliæ præstiti, copia ligæ inter R. Henricum & Philippum Ducem Burgundiæ, cum quamplurimis ad historiam istorum temporum spectantibus. In his collectaneis immiscentur quamplurima etiam diversi argumenti; quorum præcipua sunt.

1. Copia literarum Prioris & Conventus S. Salvatoris prope Brayn, Senonensis diœceseos, de una missa celebranda singulis annis pro Domino Rege, cum duabus consimilis formæ.
2. Literæ Martini P. ad R. Henricum super provisionem Ricardi Flemyng ad Ecclesiam Lincolniensem, cum literis Cardinalium ad eundem.
3. Litera R. Henrici ad R. Hispaniæ pro reparatione damnorum commissorum in ducatu Aquitaniæ ad instantiam Regis Francorum.
4. Litera Martini P. ad Henricum Regem Angliæ, qualiter concilium Constantiense decrevit, quod membra dependentia ab Ecclesiis seu Monasteriis ante schisma, ab eisdem in posterum dependerent.
5. Protestatio per Gulielmum Hieworth, Abbatem S. Albani, super provisione ei facta de Ecclesia Litchfieldensi.
6. Formula literarum credentialium Martini P.
7. Copia alienationis factæ per Abbatissam monasterii S. Trinitatis de Cadomo in Normannia de terris suis in Angliæ partibus, cum chartis de avisamento Justitiariorum de terris alienatis per eandem, cum formulis aliarum chartarum de aliis alienationibus.
8. Instrumentum super compromissum inter D. Radulphum Cromwell & D. Thomam Bealmont.
9. Articuli concordati inter Martinum Papam & R. Henricum v. pro reformatione abusuum in regno Angliæ.
10. Responsio data per Magistrum Morgan Protonotario & Nuncio Apostolico, exhortanti ad pacem, anno R. Henrici v. septimo, anno 1419.
11. Protestatio facta per regios Ambassiatores, quæ præmitti solet in tractatibus pacis, cum copiis variarum commissionum ad capiendas amicitias & treugas, ad tractandum de sponsalibus, matrimonio, dote, &c. cum instructionibus, per R. Henricum.
12. Forma juramenti assumpti in Consiliarium.
13. Litera Caroli, Delphini Franciæ, ad R. Henricum, cum ejus responsione.
14. Copia treugarum initarum inter Regem Henricum & Ducem Britanniæ.
15. Approbatio fundationis domus de Sion pro Monialibus sub regula & secundum instituta S. Brigittæ, & appropriatio duarum Ecclesiarum ad eandem per Martinum P. cum ejusdem commissione pro dicta domo.
16. Licentia Martini Papæ de transferendis reliquiis de partibus Normanniæ ad alia loca, ubi placuerit.
17. Ejusdem licentia, ut Decanus Capellæ regiæ possit audire confessiones ipsius Regis & aliorum in exercitu, & licentia altaris portatilis pro Rege.
18. Tractatus & securitates de & super elargitione Arthuri de Britannia, militis, prisonarii Regis.

19. Bulla notificationis de & ſuper modo & forma electionis & coronationis Martini Papæ, directa ad Regem Scotiæ.
20. Litera miſſa per Cardinales, ad Regem Henricum de eadem re.
21. Bulla Martini P. ad Regem, dum eſſet in caſtro Cadomi, de ſua electione & coronatione.
22. Copia ordinationum concilii generalis ſub Martino v. cum quamplurimis aliis ad res Gallicas & Anglicas iſthoc tempore tranſactas ſpectantibus.
23. Orationes variæ & epiſtolæ Gaſpari de Peruſio, Legum Doctoris, ſuper variis argumentis.
24. Orationes & epiſtolæ Gaſpari Pergameni, Andreæ Juliani in mortem Manuelis Chryſoloræ, Campiani, Joannis Noctenſis de Sicilia, Leonardi Aretini, Poggii, Auguſtini Pergameni, & aliorum.
25. Epiſtolæ S. Pauli & Senecæ.

VII. Chronica Willielmi Thorne; ſed hodie deſideratur.

VIII. 1. Rituale antiquum pulcherrime deſcriptum, cum hymnis notulis muſicalibus inſignitis.
2. L'ordenance a enoindre & a coronner le Roy & la Reyne.
3. Ordo ad inungendum & coronandum Regem & Reginam, cum elegantiſſimis picturis. Sequuntur, Gallice, juramenta & homagia, quæ Pares, Prælati, Barones, Equites, aliique Officiarii Regis præſtabant tempore coronationis. Liber olim pertinebat ad Carolum v. Galliæ Regem.
4. Ordo conſecrationis, *h. e.* coronationis Regis & Reginæ Angliæ.
5. Ordinatio Abbatis.
6. Benedictio Monachorum.
7. Benedictio ſuper Abbatiſſam.
8. Conſecratio Virginis monialis.
9. Benedictio viduæ, & veſtis ejus.
10. Ad confirmandos infantes.
11. Super hominem pugnaturum, cum benedictione ſcuti, baculi, & enſis.
12. Benedictio ferri judicialis.
13. Judicium aquæ ferventis, cum benedictione ejuſdem.
14. Benedictio aquæ frigidæ ad judicium faciendum, cum adjuratione ejuſdem, & hominis, cui culpa objicitur.
15. Exorciſmus panis & caſei, ad probationem veri inveſtigandàm, cum benedictione eorundem.

IX. 1. Tabulæ chronologicæ continentes annos expanſos & reductos Latinorum, Ægyptiorum, Græcorum, Arabum, & Perſarum, cum eorundem menſium nominibus & menſuris, & motu ſolis, lunæ, aliorumque planetarum. Accedunt tabulæ æquationis, acceſſus & receſſus octavæ ſphæræ.
2. Regiſtrum Gulielmi Cratfield, Abbatis S. Edmundi.
2. Regulæ, cum maximis, Magiſtri Franconis, cum additionibus aliorum muſicorum, compilatæ a Roberto de Handle.
4. Tractatus de Muſica incerti Auctoris. Initium: *pro aliquali notitia de Muſica habenda, primo videndum, quid ſit muſica.*
5. Tractatus alius de Muſica incerti Auctoris. Initium: *cognita modulatione melorum ſecundum viam octo troporum.*
6. Liber Diviſionum Mahumeti Bag-dadini.
7. Rogeri Baconi liber de ſpeculis comburentibus, cum figuris.

X. Liber Ibun Cadis Abubcori de ritibus Mohammedanorum, Arabice.

XI. Paſtorale S. Gregorii Papæ, Saxonice, ex verſione Regis Ælfridi. Liber olim erat Plegmundi, Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui floruit circa annum 890.

XII. 1. Opus collectum & compilatum per venerabilem Patrem Thomam Bathon. & Wellenſ. Epiſcopum, ex literis, allegationibus, concluſionibus, conventionibus, & tractatibus, nonnulliſque aliis negotiis & materiis concernentibus jus & titulum Regis Angliæ ad regnum & coronam Franciæ, cum aliis multis, quæ ea occaſione ſecuta ſunt.
2. Alii tractatus de eodem argumento.

XIII. 1. Sylveſtri Gyraldi Cambrenſis diſtinctionum libri quatuor. Liber miſcellaneus, in quo multa Theologica & hiſtorica occurrunt, præſertim contra Cluniacenſium, & aliorum Monachorum exceſſus.
2. Ejuſdem Gyraldi vita: imperfecte: deſunt enim quamplurima capitula, quod ex indice præfixo, cui liber nullatenus reſpondet, liquet.
3. Speculum Eccleſiæ, abſtractum ex diverſis libris per Rogerum, Abbatem Glaſtoniæ. Liber ita nuncupatus, quia, ut ibi præfertur, *in eo ſpeculari poteſt, quid ſignificet Eccleſia, vel ſingula, præſertim minus cognita, repræſentari faciat in ea.*
4. Epitaphia, ſive verſus conſcripti in loculos quorundam virorum magnorum Angliæ.
5. Epiſtola Beatricis, S. Mariæ, & S. Benedicti de Lacoc, miniſtræ, continens elogium fœminæ nobiliſſimæ & venerabilis matris, Elæ, quondam Abbatiſſæ, & Comitiſſæ de Warwike.

C

I. 1. Liber de computo Eccleſiaſtico: in quo continentur circuli Paſchales; quædam de partibus mundi, de ratione ſphæræ Pythagoræ philoſophi, de menſibus, de ratione æquinoctii, de nominibus ventorum, de concordia menſium in horis & pedibus, de poſitione ſeptem ſtellarum errantium; ephemeris Abbonis, de duodecim ſignis, excerpta ex opere Ciceronis de aſtronomia, (vult dicere Germanici) ubi ſunt ſyderum figuratæ delineationes, multaque alia Aſtronomica: eadem quæ habentur ſupra B. v.
2. Rituale antiquum, in quo continentur benedictiones, ordinationes, & homiliæ: inter alia

1. Benedictiones

1. Benedictiones annuli, baculi, cereorum, &c. 2. Benedictiones ad confirmandum. 3. Ordo in cœna domini. 4. Benedictio olei ad omnem languorem, & chrismatis. 5. Ordo de nocte parasceves & cæteris feriis. 6. Sermones de Chrismate. 7. Canon S. Theodori de sacris ordinibus. 8. Prædicatio de oratione Dominica. 9. Pœnitentis institutio secundum decreta Normannorum Præsulum, auctoritate summi Pontificis confirmata. 10. De ordinando Episcopo, Presbytero, &c. 11. Excommunicatio Leonis Papæ. Insertis Saxonicis.

3. Capitula Concilii apud Wintoniam celebrati.

II. Bedæ Historia Ecclesiastica gentis Anglorum, characteribus Saxonicis.

III. Liber de divinis officiis venerabilis Bedæ Presbyteri, qui *Gemma animæ* intitulatur, titulum habet ψευδεπίγραφον, & Giraldo Cambrensi, ut alibi fit, adscribendus est.

IV. Historie ofte Cronyche, van Hollant ende Zeilant, bescreven bii Johan Van Naelduyk, Edelman van Hollant, eyndende, A. D. 1461.

V. 1. Fratris Rogeri Bacon opus tertium, sive summa ad Clementem IV. Papam, quam dicit in præfatione se ad veritatem & perfectionem utriusque operis præcedentis composuisse. In hoc agit de sapientiæ principalibus radicibus, floribus, & fructibus.

2. Ejusdem majoris operis pars quinta, in qua ostenditur potestas Mathematicæ in scientiis & rebus mundi.

3. Opus minus Fratris Rogeri Bacon circa sapientiam ostendens:

1. Quæ sint causæ, & propter quas omnis homo semper debet vacare sapientiæ; 2. Quæ sint necessaria ad eam; 3. De modis & viis, quibus debet eam requirere; & 4. Quæ sint impedimenta illius.

4. Registrum terrarum Hospitalis B. Thomæ martyris de Acon in civitate London, (in loco, ubi iste Thomas natus fuerat) in Wapping, Stebenhith, Plumsted, Cullesdon, Doncaster, in Hibernia, & in insula Cypro.

VI. Liber Psalmorum secundum *traditionem* S. Hieronymi Presbyteri, cum versione Saxonica interlineari. Singulis Psalmis adduntur Collectæ. Mutilus est; nam desinit in Psalmo CXIV.

Præmittuntur

1. Tabulæ paschales, multaque ad computum Ecclesiasticum spectantia. 2. Delineationes, quæ repræsentant historiam tum Davidis, tum Christi, &c. & figuræ instrumentorum musicorum. 3. Origo prophetiæ Davidis Regis Psalmorum numero CL. 4. Expositio & divisio Psalterii in quinque libros. 5. Ordo confessionis Sacerdotum & omnium Clericorum secundum Hieronymum Tractatorem, qualiter confiteri debeat Christianus peccata sua. 6. De septiformi S. Spiritus operatione, Latine, & Saxonice. 7. Orationes, quæ passim inseruntur.

VII. Compilatio Henrici de Knyghton, Canonici Abbatiæ Leycestriensis, de eventibus Angliæ. Incipit historiam ab expulsione R. Edwini, & successione fratris ejusdem, Eadgari, & deducit ad tempora R. Ricardi 1. *h. e.* ad annum 1395.

VIII. 1. Brevis notatio de quibusdam Regibus Angliæ, & quot annis regnarunt: *h. e.* a R. Joanne ad R. Henricum V.

2. De Dominis de Tateshale post conquestum per successionem, & de descensu Hugonis de Albanico, Comitis Arundeliæ, & partitione ipsius hæreditatis inter quatuor sorores anno 28. Regis Henrici III. Sunt autem Collectanea de istorum Dominorum Sirpe, hæreditariis terris & possessionibus, cum inquisitionibus captis, de feodis militaribus, de advocationibus Ecclesiarum, de releviis, aliisque ad istam familiam pertinentibus.

3. De prima fundatione Abbatiæ de Kirkstede, anno 1139. & de terris & juribus ad istam abbatiam spectantibus.

IX. 1. Vita R. Ricardi II. scripta à quodam Monacho de Evesham.

2. Libertates a Rege Gulielmo Anselmo, Archiepiscopo Cantuariensi concessæ.

3. Historiola de magna convocatione Nobilium & Seniorum sub Rege Gulielmo I. anno 1072. de quibusdam consuetudinibus & terris, quas Lanfrancus, Cantuariensis Archiepiscopus ex jure suæ Ecclesiæ ad se pertinere proclamabat.

4. Libertates & privilegia concessa a R. Gulielmo Monachis de S. Trinitate Cantuariæ.

5. Libertates a R. Henrico Anselmo, Archiepiscopo Cantuariensi, & Monachis Ecclesiæ Christi Cantuariæ concessæ.

6. Archidiaconatus Cantuariensis institutio, & jura: ubi de lite inter illum & capitulum de jurisdictione administranda, vacante sede Archiepiscopali.

7. Registrum Monasterii S. Crucis de Waltham in comitatu Essexiensi; continens nimirum chartas regias, Pontificales, Episcopales, & aliorum, de prædiis, terris, privilegiis, juribus, Ecclesiis, indulgentiis, aliisque ad idem Monasterium spectantibus.

X. Taxatio spiritualium & temporalium Angliæ & Walliæ, facta anno 1292. cum decima R. E. in subsidium terræ Sanctæ concederetur.*

XI. 1. Liber Eginhardi de vita Caroli magni.

2. Visio Baronti monachi Longoretensis cœnobii.

3. Commemoratio de rebus Sanctæ Trajectensis Ecclesiæ, quæ olim a regibus, & ab aliis D. nostri Jesu Christi fidelibus, eidem Ecclesiæ traditæ sunt.

4. Rheginonis Prumiensis abbatis Chronicon à nativitate Christi ad annum 906. præcipue vero agit de gestis Francorum.

5. Dormitio septem fratrum.

6. Chronicon, quod incipit ab anno 646. & continuatur ad anno 1189.
7. Narratio de quadam Moniali, Berta nomine, ſub Ludolfo, Abbate S. Laurentii in Oſtbrock.
8. Narratio altera de Margareta ejuſdem inſtituti in eodem clauſtro.
9. Fragmentum de Thoma, Archiepiſcopo Cantuarienſi.

XII. Regiſtrum Chartarum Monaſterii S. Mariæ de Fontibus, ordinis Ciſtercienſium, in comitatu Eboracenſi.

XIII. Hiſtoria Jornalenſis (potius Jorvallenſis: Jorvalle enim eſt nomen loci in agro Richmondienſi, ubi monachi ordinis Ciſtercienſium cœnobium habuere;) ab adventu S. Auguſtini in Angliam anno 588. ad mortem Regis Ricardi I. per Joannem de Brampton, Abbatem Jornalenſem. Geſta Regum Saxonum optime recenſet, & præſertim leges eorum, Latine, *viz*. Inæ, Aluredi, ejuſdem & Godrini Daci, Regis Eaſt-Angliæ, Edwardi Senioris, Athelſtani, Edmundi, Edgari, Ethelredi, Canuti, Gulielmi I. & Henrici I. Inſeruntur nomina Magnatum & militum, qui cum Gulielmo I. in conqueſtu ſuo extiterunt, & quibus terras Anglorum donavit.

D

I. Diarium rerum in comitiis Parlamentariis geſtarum a primo anno Regis Henrici VIII. ad ſeptimum annum Regis Edwardi VI. incluſive.

Præmittitur Sacramentum Clerici Parliamentorum. Diarium hoc ex multis regiſtris parlamentariis in unum collectum erat magna induſtria Roberti Bowyer, qui ad munus Clerici Parlamentorum admiſſus erat in ædibus nobiliſſimi viri, Thomæ Baronis de Elleſmere, Cancellarii Angliæ, triceſimo die Januarii, anno 1609.

II. 1. Livre des Monnoyes, *h. e.* Liber de numiſmatibus variis, nempe quæ erant in uſu in Germania, Francia, Hiſpania, Italia, Hungaria, Anglia, cæteriſque regnis & provinciis orbis, juxta varias eorundem diſtinctiones ſub diverſis Regibus & Principibus in unaquaque ditione. Item numiſmata Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, &c. Gallice, cum eorundem delineationibus. Si liber iſte ſuis numeris abſolutus fuiſſet, pretii foret inæſtimabilis, & vel ditiſſimis theſauris æquandus: utcunque, erit in re antiquaria & hiſtorica maximi uſus. Accedunt
2. Multa præclara de re monetaria.
3. Inſignia depicta Imperatorum Germaniæ, Abyſſiniæ, & Conſtantinapoleos, Regum Franciæ, Angliæ, Hiſpaniæ, &c. Ducum, Comitum, & aliorum Nobilium Franciæ, cum illorum explicatione Gallica.

III. 1. Vita & paſſio S. Elphegi, per Osbernum Monachum Cantuarienſem, cum tranſlatione ejuſdem.
2. Vita S. Anſelmi, Archiepiſcopi Cantuarienſis, per Eadmerum monachum Cantuarienſem, cum deſcriptione quorundam miraculorum ejuſdem.
3. Paſſio S. Epipodii martyris, X. Kal. Maii.
4. Paſſio S. Gregorii martyris, IX. Kal. Maii.
5. Paſſio S. Alexandri martyris, VIII. Kal. Maii.
6. Paſſio S. Marci Evangeliſtæ, VII. Kal. Maii.
7. Sermones in Litania majori.
8. Vita S. Hugonis Abbatis, V. Kal. Maii.
9. Paſſio S. Vitalis martyris, IV. Kal. Maii.
10. Paſſio S. Torpetis martyris, IV. Kal. Maii.
11. Paſſio S. Maximi martyris, II. Kal. Maii.
12. Vita S. Philippi Apoſtoli, Kal. Maii.
13. De inventione S. Crucis, V. Non. Maii.
14. Paſſio SS. Alexandri Papæ, Eventii, & Theodoli Presbyterorum.
15. Paſſio S. Judæ, qui & Quiriacus, IV. Non. Maii.
16. Vita S. Odilonis Abbatis.
17. In natale S. Joannis ante portam Latinam lectiones, & Sermo Petri Damiani, II. Non. Maii.
18. Vita Sancti Joannis Epiſcopi Beverlaci, Non. Maii.
19. Paſſio S. Victoris martyris, VIII. Idus Maii.
20. Sermo in tranſlatione S. Andreæ Apoſtoli, VII. Idus Maii. & Sermo de S. Andrea.
21. Miracula S. Andreæ Apoſtoli, per Gulielmum Monachum Malmesburienſem.
22. Sermo in tranſlatione S. Nicolai Epiſcopi; eodem die.
23. Paſſio S. Gordiani Martyris, VI. Idus Maii.
24. Paſſio S. Pancratii martyris, eodem die.
25. Paſſio SS. Nerei & Achillei fratrum, eodem die.
26. Reſcripta S. Marcelli ad eoſdem, in quibus agit de S. Petro & Simone Mago, & etiam de obitu S. Petronillæ, & de paſſione Feliculæ virginis.
27. Vita S. Servaſii, Tungrenſis Epiſcopi, III. Id. Maii.
28. Vita S. Brendani de diverſis miraculis, quæ vidit in Oceano, XVII. Kal. Junii.
29. Relatio Paſtoris Presbyteri de titulo S. Potentianæ XIV. Kal. Junii.
30. Vita S. Dunſtani, Archiepiſcopi Cantuarienſis, XIV. Kal. Junii. per Osbernum Monachum Cantuarienſem.
31. Vita S. Auguſtini Anglorum Archiepiſcopi, VII. Kal. Junii. Deeſt initium; ſed in aliis codicibus Cottonianis integra habetur.
32. Tranſitus venerabilis Bedæ per Cuthbertum Monachum, eodem die.
33. Intitulatio opuſculorum Bedæ ab ipſo edita.
34. Vita Sanctorum Abbatum Monaſterii in Wiramutha, & Gyrwin; *viz*. Benedicti, Ceolfridi, Eaſterwini, Sigfridi, atque Whetberti, ab ejuſdem monaſterii Presbytero & monacho Beda compoſita.
35. Vita S. Germani Pariſiacenſis Epiſcopi a Fortunato, Pictavienſi Epiſcopo, edita — V. Kal. Junii.
36. Paſſio S. Cononis martyris, III. Kal. Junii.

37. Vita

37. Vita S. Mauritii Episcopi, III. Kal. Junii, quæ tamen ut illic adnotatur, Id. Septembris debet legi.
38. Passio Sanctorum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ, IV. Non. Junii.
39. Passio S. Herasmi, Episcopi & martyris, III. Non. Jun.
40. Passio S. Bonifacii, Episcopi & martyris, Non. Jun.
41. Vita S. Bonifacii per S. Willebaldum, A. Ch. 781.
42. Passio S. Juliani martyris, VIII. Id. Jun.
43. Vita S. Medardi Pontificis, VI. Id. Jun.
44. Passio SS. Primi, & Feliciani, V. Id. Junii.
45. Translatio & vita S. Margaritæ, Reginæ Scotorum, per Turgotum Dunelmensem, ad Mathildem Reginam.
46. Vita S. Niniani, Episcopi & Confessoris, ab Aelredo Rievallensi Abbate de Anglico in Latinum translata.
47. Vita & miracula S. Columbæ Episcopi.
48. Passio S. Gethulii martyris, & aliorum Sanctorum, V. Id. Jun.
49. Vita S. Barnabæ Apostoli, III. Id. Jun.
50. Passio Sanctorum martyrum, Nazarii, & Celsi, II. Id. Jun.
51. Passio Sanctorum martyrum, Viti, Modesti, & Crescentiæ, XVII. Kal. Jun.
52. Passio SS. Cyriaci & Julittæ, XVI. Kal. Jun.
53. Vita S. Botulphi Abbatis, per Fulcardum Monachum, ad Walchelmum Episcopum.
54. Passio S. Dioscori martyris, qui passus est in Ægypto, & fuit Curialis, XV. Kal. Jul.
55. Passio Sanctorum martyrum, Marci, & Marcelliani, XIV. Kal. Jul.
56. Tractatus S. Ambrosii de inventione Sanctorum martyrum, Gervasii, & Protasii, XIII. Kal. Jul.
57. Vita S. Leufredi Abbatis, XI. Kal. Jul.
58. Passio S. Albani martyris, X. Kal. Jul.
59. Vita S. Etheldrithæ Virginis, IX. Kal. Jul.
60. Sermo Leonis Papæ in natale S. Joannis Baptistæ.
61. Sermo alius S. Augustini.
62. Passio Sanctorum martyrum, Joannis, & Pauli, VI. Kal. Jul.
63. Passio S. Julii martyris apud provinciam Asyam in civitate Dorovensi, eodem die.
64. Passio S. Symphorosæ, uxoris S. Gethulii, cum VII. filiis, V. Kal. Jul.
65. Passio S. Irenæi, Episcopi & martyris, cum multis Lugdunensibus, IV. Kal. Jul.
66. Passio SS. Andochii Presbyteri, Tyrsi Diaconi, & Felicis, VIII. Kal. Octobris.
67. Vita S. Yvonis Episcopi in Perside, VIII. Kal. Maii, per Andream Abbatem Ramesiensem, ut testatur Gocelinus in præfatione.
68. Inventio S. Yvonis, VIII. Kal. Maii.

IV. 1. Vita S. Sylvestri, Episcopi & Confessoris, II. Kal. Januarii.
2. Vita S. Basilii Cæsariensis, Cappadociæ Episcopi & Confessoris.
3. Vita S. Remigii, Archiepiscopi & Confessoris.
4. Vita S. Hilarii, Episcopi & Confessoris.
5. Vita S. Felicis Confessoris.
6. Vita S. Vedasti, Episcopi & Confessoris, per Bedam Presbyterum, anno 734.
7. Vita S. Amandi, Episcopi & Confessoris.
8. Vita S. Albini, Episcopi & Confessoris.
9. Vita S. Gualarici, Abbatis & Confessoris.
10. Vita S. Ambrosii Mediolanensis, Episcopi & Confessoris.
11. Vita vel conversio S. Mariæ Ægyptiacæ.
12. Vita S. Germani Parisiacensis Episcopi, per Fortunatum Episcopum.
13. Vita S. Medardi, Vermandensis Episcopi & Confessoris, a Fortunato Episcopo edita.
14. Vita S. Germani, Antissiodorensis Episcopi & Confessoris.
15. Revelatio S. Corcodemi Diaconi, & qualiter Mamertinus ad baptismum pervenit.
16. Sequitur liber secundus vitæ S. Germani Antissiodorensis.
17. Vita S. Augustini, Doctoris eximii, a Possidio Episcopo edita.
18. Vita S. Ægidii, Abbatis, præclari Confessoris.
19. Vita S. Martini Episcopi, per Sulpitium Severum ad Desiderium, cum epistola ejusdem de obitu illius, cum Sermone Gregorii Turonensis, & de translatione ejus.
20. Ejusdem dialogi de miraculis S. Martini.
21. Dialogi Severi Sulpitii de conversatione & miraculis Orientalium monachorum.
22. Collectaneum Albini Magistri de vita & virtutibus S. Martini.
23. Vita S. Brictii, Episcopi & Confessoris.
24. Vita S. Richarii, Abbatis, Confessoris, Domini præclari, VI. Kal. Maii.
25. Miracula S. Martini, per Gregorium Turonensem.
26. Vita S. Aniani Confessoris.
27. Vita S. Columbani, per Bedam, anno 734.
28. Vita S. Nicolai.
29. Vita S. Leonardi.
30. De translatione S. Benedicti Abbatis.
31. Vita S. Mariæ Magdalenæ.
32. Vita S. Audoeni, Rhotomagensis Episcopi.
33. Vita S. Hieronymi presbyteri.
34. Vita S. Leonardi, iterum occurrit.
35. Vita S. Martialis Episcopi.
36. Vita S. Taurini, Episcopi & Confessoris.
37. Vita S. Eusebii, presbyteri & Confessoris.
38. Vita S. Philiberti Abbatis.
39. Historia ascripta S. Athanasio de imagine Salvatoris.
40. Passio S. Apollinaris martyris.
41. Passio S. Pantaleonis martyris.
42. Passio S. Oswaldi, Regis & martyris.
43. Passio S. Adriani, martyris.
44. Passio S. Proti, & Jacinti.
45. Vita S. Gregorii Episcopi.
46. Vita S. Birini Episcopi.
47. Vita S. Swithini Episcopi.
48. Vita gloriosi & B. Patris, S. Athelwoldi Episcopi, per Wolstanum, Wigorniensem monachum, anno 1000.
49. Vita S. Dunstani Archiepiscopi, per Osbernum, monachum Cantuariensem.
50. Miracula S. Laurentii martyris.

51. Athelwolphi Lindisfarnensis carmina, ad Egbertum Presbyterum.
52. Hieronymus de situ Babylonis, & de altitudine turris, quam ædificabant filii Adam post diluvium.
53. Orosius de eadem civitate.
54. Epitaphium egregii Doctoris Bedæ.

V. 1. Secunda pars Granarii Joannis *de loco frumenti*, olim abbatis Monasterii S. Albani, de viris illustribus, eorumque illustriis, de doctis Philosophis, eorumque dictis & dogmatibus.
2. Imago mundi. Liber miscellaneus de elementis, de partibus mundi, de planetis, & signis Zodiaci, aliisque syderibus, de partibus temporis, Epochis, computo Ecclesiastico, multisque aliis.
3. Arculphi Episcopi, gente Galli, liber de Hierosolymis, aliisque locis sanctis in Palæstina. Adamnano alias adscribitur.

VI. Registrum chartarum monasterii Ecclesiæ Christi de Twynham in agro Hamptoniensi. Erat Canonicorum Regularium. In fine occurrit index reliquiarum ejusdem Monasterii.

VII. Ranulf of Chester his books of Chroniks, put into English by John de Trevisa, Priest, and dedicated to the worthy and worshipfull Lord, Sir Thomas Lord of Berkeley. Præmittitur dialogus inter Dominum & Clericum de usu translationum, Anglice. Translatio autem facta erat anno 1387.

VIII. Privilegia mercatorum Angliæ, præcipue stapulæ, cum multis aliis ad istam societatem mercatorum spectantibus: partim Latine, partim Anglice.

3. Chronicon de gestis ac nominibus Regum Angliæ & Britonum, Saxonum, Danorum, & Normannorum, compilatum ex libro quodam cui titulus Brutus, Beda, Gulielmo Malmesburiensi, Petro Pictaviensi, alisque, ad A. C. 1278.
4. Regulæ, institutiones, & res gestæ Fratrum Minorum in Anglia.
5. De modo, die, & hora apparitionis Domini in forma Seraphica B. Francisco, & impressione sacrorum stigmatum.
6. Martyrium quinque Fratrum Minorum apud Marochium.
7. Martyrium trium Fratrum Minorum de Armenia majori.
8. Martyrium quatuor Fratrum Minorum apud civitatem Tana, cum serie sacri martyrii.
9. De locis Fratrum Minorum & Prædicatorum in Tartaria.
10. Nomina generalium Ministrorum ordinis Fratrum Minorum, & Ministrorum generalium Anglorum.

X. 1. Oratio Justi de Justis de laudibus Joannis Chedevortensis, in qua Britanniam ejus patriam quoque laudat. Sequitur
2. Epistola ejusdem ad eundem Joannem Chedworth, Archidiaconum Lincolniensem, qui tunc erat Paduæ, data ex Verona, 16. Julii 1468.
3. Poema in lingua veteri Anglicana, in quo sub insomnii figmento, ad religionem, pietatem,

tatem, & vitam probam hortatur Auctor; interspersis quibusdam historicis, & picturis, majoris illustrationis gratia, subinde additis.

4. Miscellaneus tractatulus de afflictione Dei: *h.e.* quibus de causis Deus nos affligit; de eruditione Christi: *h.e.* quomodo Christus nos erudit; de gaudio, de contritione, de confessione, aliisque capitulis Theologicis.

5. Meditationes quædam piæ, ut puto, S. Bernardi, super variis argumentis. Primæ meditationis initium: *multi multa sciunt & semetipsos nesciunt: alios inspiciunt, & semetipsos deserunt; Deum quærunt per ista exteriora, deserentes interiora sua, quibus interior est Deus; ideirco ab exterioribus redeam ad interiora, & ab interioribus ad superiora ascendam.*

6. Epitaphium Ranulfi, Abbatis de Ramesey.

XI. 1. Charta charitatis, sive decretum Stephani Abbatis & Fratrum suorum, de regulis ab Abbatibus & Monachis ordinis Cistertiensis observandis; *h. e.* quo pacto, quo modo, imo qua charitate, Monachi eorum per Abbatias in diversis mundi partibus, corporibus divisi, animis indissolubiliter conglutinarentur.

2. Historia famosissimi R. Caroli magni, per Turpinum.

3. De miraculis beati & gloriosi Apostoli Jacobi, Fratris S. Joannis Evangelistæ. Præfigitur argumentum Calixti Papæ: in quo præcipit, ut codex iste inter authenticos deputetur, & in Ecclesiis, & Refectoriis diebus festis ejusdem Apostoli, aliisque, si placet, diligentur legatur.

4. Epistola Kalixti Papæ ad Cluniacenses, & ad Gulielmum, Patriarcham Hierosolymitanum, & Compostellanensem Archiepiscopum, de fide & auctoritate miraculorum in hoc codice contentorum.

5. Epistola Innocentii P. ad universos Ecclesiæ filios de auctoritate hujus libri.

6. Testimonium Emerici Cancellarii de eodem.

7. Ordinatio Gregorii P. de recipiendis S. Jacobi peregrinis & egenis.

8. Gesta Normannorum Ducum, per Gulielmum Gemeticensem cœnobitam ad tempora Gulielmi I. Regis Angliæ, cui librum inscribit.

9. Tractatus de essentia, invisibilitate, & immensitate Dei: dicitur esse S. Hieronymi.

10. Excerpta quædam Theologica, ex Patribus, canonibus conciliorum, & epistolis quorundam Pontificum.

XII. 1. Registrum chartarum Monasterii B. Mariæ de Bello loco in agro Southamptoniensi de maneriis, redditibus, consuetudinibus, appropriationibus Ecclesiarum, compositionibus, privilegiis, aliisque ad idem Monasterium pertinentibus.

2. Nomina Anglica usitata in chartis antiquorum Regum Angliæ, & adhuc apposita in chartis modernorum, exposita ab Alexandro, Archidiacono Sarum, secundum quod continetur in legibus Inæ, Aluredi, Athelдredi, Cnuti, & Edwardi, Regum Angliæ.

3. Compositio de ponderibus.

4. De differentia ætatum animalium, & de adjunctione eorundem.

5. Forma astringendi Seneschallum manerii de Farendon in ingressu suo, Gallice.

6. Modus faciendi homagium & fidelitatem, Gallice.

7. De homagio & fidelitate villanorum, Gallice.

8. Capitula visus franci plegii, Gallice.

9. Assisa panis & cerevisiæ, &c.

10. De pœna pistoris, brasiatoris, & carnificis *i.e.* Lanii.

11. De standardo galoni, ulni, & bussel.

12. Constitutiones Fratrum de matutinis, de horis, & modo dicendi, de jejunio & prandio, de collatione & completorio, de lectis Fratrum, de infirmis, de magistro Noviciorum -- de tempore generalis capituli & electione Definitorum -- de potestate Priorum Provincialium, de capitulo generali, de Visitatoribus, cum multis aliis capitulis ad vitam & regimen Monachorum spectantibus. ---- Initium Prologi: *Omnes ex præcepto regulæ jubemur habere cor unum & animam unam in Domino. Justum est, ut qui sub una regula & unius professionis voto vivimus, uniformes in observantia canonicæ religionis inveniamur.*

13. Tractatulus Magistri Guidonis de arte musica.

XIII. 1. Chronicon Monasterii Hoernensis, in quo agitur de statutis a Dominis & Presbyteris Ecclesiæ Hoernensis factis 17 die Augusti, A. D. 1209. ab omnibus Fratribus suis inviolabiliter observandis; de nominibus Dominorum primæ institutionis; de prima fundatione civitatis Hoernensis; de Comitibus Hollandiæ; de privilegiis ejusdem civitatis; de constructione Ecclesiæ & ejus ornamentis; & de gestis in Hollandia, & West-Frisia.

2. Regula & vita Fratrum Minorum, edita a B. Francisco, confirmata a D. Papa Honorio.

3. Testamentum beatissimi nostri Patris, Francisci.

4. Brevis elucidatio regulæ.

5. Declaratio D. Nicolai III. super regulam Fratrum Minorum.

6. Declaratio D. Clementis P. V. super regulam Fratrum Minorum.

7. Rubricæ generales de festis & sacris officiis celebrandis in iisdem.

8. Declaratio regulæ Fratrum Minorum, ex declarationibus & constitutionibus summorum Pontificum; necnon & quatuor Doctorum, & constitutionibus generalibus, in unum reducta.

9. Brevis declaratio regulæ Fratrum Minorum. Eadem quæ supra: num. 4.

XIV. 1. Anonymus de institutione Monialium, quas Dei sponsas appellat, circa cordis directionem, & exteriorum rectificationem, præcipue in usum sororum ejus, quæ erant Anchoritæ. In veteri lingua Anglicana. Idem liber Latine habetur, ut notat doctissimus

finus I. in Bibliotheca Magdalenensi Oxon. cum hac inscriptione. Liber *Simonis de Gandavo Episcopi Sarum de vita solitaria sororibus suis Anachoritis apud Tarente.* Vide catalogum codicum MSS. istius splendidissimi Collegii in præclarissima sylloge Oxoniensi impressum, num. 67. quem ante multos annos confeci.

2. Hymnus ad beatam Virginem Mariam, metrice, in eadem lingua.
3. Orationes ad Christum & B. Virginem Mariam: in eadem lingua.
4. Symbolum Apostolicum, in eadem lingua. Liber scriptus tempore R. Henrici III.

XV. Eliensis insulæ & Ecclesiæ, a tempore R. Lucii A. D. 156. historia, a quodam Monacho Eliensi scripta. Pars prima, in qua continetur series Abbatum & Episcoporum, a Brychnocho: primo Abbate, ad Ricardum Abbatem decimum, & deinde ab Herveo, primo Episcopo, ad Robertum Orford, inclusive.

XVI. 1. Pars secunda, a Joanne de Betene Episcopo XV. ad Joannem Morton, Episcopum XXVII. inclusive, qui ad instantiam R. Edwardi IV. electus erat octavo die Augusti, A. D. 1478.

2. Vita S. Hamonis, ex minori Britannia in villa, quæ dicitur Landacop, oriundi.

XVII. Chronica Thomæ Rudborn, Monachi Ecclesiæ Wintoniensis, a Bruto ad annum decimum octavum R. Henrici III. Scripsit Auctor opus hoc, ut ait in præfatione, quorundam Fratrum ejusdem Ecclesiæ Monachorum rogatu, anno 1232.

B

I. Transacta inter Angliam & Portugalliam, a tempore R. Edwardi III. ad posteriora tempora R. Elisabethæ.

II. Transacta inter Angliam & Poloniam, ab anno 1387. ad annum 1600.

III. Transacta inter Angliam & Daniam, a temporibus R. Henrici IV. ad annum Ch. 1509. inclusive.

IV. Transacta inter Angliam & Daniam, ab anno 1590. ad annum 1600.

V. Transacta inter Angliam & Daniam, ab anno 1600. ad annum 1610.

VI. Literæ, narrationes, & documenta de rebus Italicis; in quibus habentur quædam literæ ad R. Henricum VIII. Cardinalem Wolsæum, & Thomam Cromwellum. Literis quoque interspersis de rebus Scoticis & Belgicis.

VII. Transacta inter Angliam & Ducem Senatumque Venetum; item inter Angliam & Remp. Florentinam; & deinde inter Duces Florentiæ, usque ad tempora R. Jacobi I.

VIII. Transacta inter Angliam & Moscoviam, a temporibus R. R. Philippi & Mariæ: *h. e.* ab anno 1557. ad annum 1603.

2. Transacta inter Angliam & Turciam.
3. Transacta inter Angliam & Marocum.

IX. Transacta inter Angliam & Germaniam, ad annum 1603.

X. Collectio Diplomatum Regiorum, de commerciis, præsertim cum civitatibus Hanseaticis, habitis.

XI. Status Imperii Turcici sub tempore Mahometis III. Imperatoris, Anglice.

2. Tractatus, quod non licet cum Turcis fœdus inire, Anglice.
3. Literæ & documenta de rebus Turcicis, & de commercio illic habito.
4. Literæ ad Imperatorem Abyssenorum, ad Manuelem Imperatorem Constantinopoleos, ad Regem Persiæ, ad Imperatorem Turcarum, aliosque.
5. Literæ & documenta de commercio in Tartaria, Perside, Barbaria, *i. e.* Mauritania occidentali, habito & habendo.
6. Transacta inter Angliam & Moscoviam.

XII. Letters of Mr. Barton, Ambassadour from Queen Elisabeth to Constantinople, in the year 1593, 1594, 1595, 1596.

C

I. 1. Modus, quomodo Parliamentum Regis Angliæ, & Anglorum suorum tenebatur temporibus Regis Edwardi, filii Regis Ethelredi: qui modus recitatus fuit per discretiores regni coram Willielmo, Duce Normanniæ, Conquestore & Rege Angliæ, ipso Conquestore hoc præcipiente, & per ipsum approbatus, & suis temporibus & temporibus successorum suorum Regum Angliæ usitatus.

2. Statuta Regum Angliæ a primo anno R. Edwardi I. ad annum primum R. Ricardi III. inclusive.

II. 1. Infeudatio regni Siciliæ per D. Clementem Papam IV. D. Carolo, S. Ludovici, Regis Franciæ, filio, cum conditionibus & pactis diversis, facta Perusii a. Nonas Novembris, indictione IX. A. D. 1265. pontificatus anno primo.

2. Modus faciendi homagium D. Papæ de regno Siciliæ, quando confertur Regi.
3. Tractatus de jurisdictione & titulis Ecclesiæ super regnum Apuliæ & Siciliæ.
4. Litera D. Caroli, Regis Siciliæ, missæ D. Gregorio Papæ IX. super solutione census pro regno Siciliæ.
5. Forma confirmationis factæ per D. Bonifacium Papam super tractatu pacis inter spectabiles viros, D. D. Carolum de Francia, Comitem Alenzonensem, Robertum primogenitum illustris Regis Siciliæ, Ducem Calabriæ, ex una parte, & R. Fridericum ex altera, super insula & regno Siciliæ, & jure, quod Ecclesia habet in eisdem.
6. Responsio D. Bonifacii P. VIII. facta D. Carolo, Regi Siciliæ super successione dicti regni.
7. Litera, quam D. Carolus, Rex Siciliæ, misit D. Clementi Papæ IV. super dilatione solutionis census debiti.
8. Infeudatio facta per D. Bonifacium P. VIII. de regno Sardiniæ & Corsicæ illustrissimo Principi D. Jacobo Regi Aragoniæ.

9. Donatio facta per Regem Joannem Innocentio Papæ III. de toto Regno Angliæ & insula Hiberniæ: pro quibus debent facere de censu Ecclesiæ Romanæ annuatim mille marcas Sterlingorum. Hæc donatio facta fuit Londoniis apud S. Paulum tertia die Octobris, A. D. 1213. regni vero R. Joannis anno decimo quinto.

10. Forma homagii, quod fecit dictus Rex Angliæ, & quod debent & tenentur facere D. Papæ & Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ omnes & singuli Reges Angliæ perpetuis temporibus regnaturi.

11. De Danelaye sive lege Danorum, & denariis beati Petri.

12. De valore diversarum monetarum.

13. Statutum D. Nicolai P. IV. de divisione fructuum, redditutum, & proventunm Ecclesiæ inter Papam & Cardinales.

14. Instrumentum donationis factæ Cardinalibus per D. Benedictum Papam XII. A. D. 1334. de medietate omnium censuum, visitationnm, & denariorum S. Petri.

15. Revocatio facta per D. Gregorium P. X. de eleemosyna Ribaldorum, &c.

16. Privilegia Imperatorum & Regum concessa Ecclesiæ: *h. e.* Constantini Imperatoris P. Sylvestro, Ludovici Imperatoris, tempore Papæ Paschalis, super regalibus B. Petro concessis, & Henrici I. Imperatoris.

17. De denario B. Petri in Francia.

18. De regnis pertinentibus ad Ecclesiam.

19. De proprietatibus pertinentibus ad Ecclesiam.

20. De processibus Paparum contra Principes inutiles.

21. Qualiter D. Adrianus Papa III. noluit recipere ad osculum pacis Imperatorem Fridericum I.

22. Juramentum fidelitatis, quod fecerunt & faciunt Romani Imperatores, Reges, & Principes, Senatores Romani, Archiepiscopi, aliique.

23. De mirabilibus Romæ.

24. De ordinationibus & gestis Paparum circa statum Ecclesiasticum.

25. De descriptione Italiæ ex historia Ecclesiastica.

26. Liber locorum sanctorum terræ Jerusalem.

27. Nomina Episcoporum & Patriarcharum Jerosolomytanorum.

28. De divisione totius orbis.

29. De designatione locorum totius universi secundum B. Ambrosium.

30. De ortu, operibus, morte, & sepultura illustrium Virorum, qui in sacra Scriptura commemorantur.

31. Arbor generationis Machometi, qui descendit de stirpe Ismaelis.

Præsentem librum ordinavit & scribi fecit reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Frater Nicolaus, Cardinalis Aragoniæ, quem compilavit ex diversis registris, & ex libris Cameræ Apostolicæ, & ex aliis etiam libris & chronicis diversis, cum magna diligentia & labore.

III. 1. Nicolaus Upton, Ecclesiarum Cathedralium Sarum, & Welliæ Canonicus, de armis & pertinentibus ad offic[iu]m militare, quatuor libris ad Humfridum, Ducem Glocestriæ, quorum

1. De officio militari agit.
2. De bello justo, & ejus speciebus.
3. De coloribus in armis depictis, & eorum nobilitate ac differentia.
4. De diversis signis in armis depictis.

2. Historia Ecclesiastica a quodam Monacho Roffensi scripta, ab anno 185. ad annum 1377.

3. Chartæ originales Regum, Magnatum, & aliorum de fundationibus & dotationibus Monasteriorum, de determinationibus controversiarum de terris agitatarum, aliisque: *viz.*

1. Charta Rogeri, Constabularii Cestriæ, confirmans omnes donationes, concessiones, & confirmationes Ecclesiæ & Monasterii B. Mariæ de Nortona.

2. Charta Regis Henrici II. de fundatione Monasterii de Brodeslega Rothomagi.

3. Charta R. Stephani, data Abbati & Monachis Monasterii de Bellewas, anno 1139.

4. Conventio, & finalis pax, & concordia inter Ranulfum, Comitem Cestriæ, & Robertum, Comitem Legrecestriæ, facta coram Roberto II. Episcopo Lincolniæ, & aliis.

5. Obligatio, sive ordinatio Nicolai Prioris & Conventus Monasterii S. Trinitatis London. de missa facienda pro M. Joanne Young, curiæ Cantuariensis Officiali, anno 1368.

6. Literæ Hugonis le Despenser Joanni Inge, Vicecomiti Glamorgan, de suis itineribus & gestis, datæ Circestriæ, Gallice.

[Nomina diversorum locorum, quæ in historiis Saxonicis occurrunt, collecta per Joannem Joscelinum. Loco non suo apponuntur hæ collectiones.]

7. Quatuor chartæ originales Abbatum Monasterii S. Martini de Bello, de terris concessis, & ab ipsis tenendis.

8. Charta R. Henrici II. de confirmandis terris, possessionibus, & libertatibus Monasterii S. Martini de Bello.

9. Concessio Ecclesiæ de Toteham Canonicis S. Trinitatis London. per Simonem Comitem Northamptoniæ.

10. Charta Joscelini, Castellani de Arundello, de Ecclesia de Budincatona, data Monachis B. Pancratii.

11. Breve Nic. Episcopi Eliensis & Baron. de Scaccario Vicecomiti de Gloucestria pro Monachis de Bordesleia.

12. Breve H. Comitis Waren Archidiacono Surrey, ut Prior & Canonici S. Mariæ de Surwich in pace teneant capellam de Niudegate.

13. Charta Archiepiscopi Cantuariensis, confirmans Ecclesiam omnium Sanctorum de Gravene, Monachis regularibus S. Mariæ de Suthwerca.

14. Concessio R. Cicestriæ Episcopo Brunkino

kino de Hafting, ut daret decimam de dominio suo de terra, quam tenet in marisco de Peneveſell, Eccleſiæ S. Martini de Bello.

15. Charta Odonis, Abbatis, & Conventus Eccleſiæ S. Martini de Bello, Nicolao, filio Aldwini Palmeri de terris in Bromham ab ipſis tenendis.

16. Charta Gileberti de Riſing, concedens Monachis de Lewes, quos Dominos ſuos appellat, dimidium ſochagium in Lectun, ad tenendum quindecim annis a feſto S. Michaelis poſt adventum D. Regis in Angliam, quando miſit Abbates & Comites, per totam Angliam ſcrutari actus Vicecomitum & Præpoſitorum: *i. e.* poſt incarnationem Domini 1161. aliam vero medietatem ejuſdem ſochagii, & advocationem Eccleſiæ de Lecton in perpetuum.

17. Charta Reginaldi de Warena Vicecomiti de Lewis, & Baronibus comitatus de reddita Burgenſibus Lewienſibus mercatoria ghilda, pro annuo redditu.

18. Charta R. Ricardi I. Comiti David & hæredibus ejus, de Gumceſtria, terris in Naſington, & in Jarewell apud Waltham, regni anno quinto.

19. Proles quatuor ſororum Ranulphi, Comitis Ceſtriæ.

20. Mandatum R. Henrici III. Ricardo de Clare, Comiti Glouceſtriæ & Hereford, ut impediat ne Margarita ſoror Leulini, filii Griffini, nubat in damnum & præjudicium Regis.

21. Certificatio directa Joanni Epiſcopo Norwicenſi, per Matildam de Muntecheneſi de Eccleſia S. Mariæ de Hegham, ab ipſa Canonicis S. Trinitatis de Gypeſwico data.

22. Confirmatio R. Henrici III. bullæ Lucii Papæ, ordini Ciſtercienſi conceſſæ, ut de laboribus, quos propriis manibus aut ſumptibus excolunt, nemini decimas ſolvere teneantur.

23. Charta Ranulphi, Comitis Ceſtriæ Giſleberto de Beningwurth, in qua concedit terram per ſervitium ſex militum.

24. Relatio Abbatis de Dora de controverſia cum Decano & Capitulo Herefordenſi.

25. Acquietantia facta Priori S. Trinitatis London. de debitis per quoſdam Judæos, Latine, & Hebraice.

26. Alia ejuſdem generis, Judæorum nominibus ſignata.

27. Bullæ duæ Honorii & Alexandri P. P. in favorem Monachorum Ciſtercienſium, in quibus terras & prædia illorum a decimis ſolvendis eximunt, cum citationibus è jure Canonico.

28. Inventaria catallorum tempore R. Joannis, ex quibus pretium & valor bovis, vaccæ, aliarumque rerum ſeculo illo cognoſci poteſt.

29. Indulgentia Walteri, Archiepiſcopi Eboracenſis, conceſſa iis, qui ad fabricam Conventualis Eccleſiæ B. Mariæ de Newarke de ſuis facultatibus aliquid charitative contulerint.

30. Sententia definitiva cujuſdam Archiepiſcopi Cantuarienſis pro Abbate & Conventu de Perſore contra Matham de Cigoni Clericum, fratrem Engelardi de Cygoni, Vicecomitis Glouceſtriæ, de violentiis & oppreſſionibus ipſis illatis, & quos a penſionis ab illis exactæ ſolutione abſolvit.

31. Finalis concordia facta primo R. Joannis anno inter Sewallum, filium Roberti de Soutmaresfeld, & Willielmum Priorem de Suthwerk, de terris in Benſted.

32. Conventio altera inter eoſdem.

33. Breve Vicecomiti Surriæ nomine Juſtitiarii, ut præcipiat Priori de Suthwerke Sewallo, filio Roberti, duas virgatas terræ, &c. in Benſted reddere.

34. Finalis concordia inter Robertum de Sap, & Willielmum Priorem de Suthwerk, de terris in Tadelawe, anno R. Joannis IV.

35. Breve de Præcipe, nomine Juſtitiarii, de terris prædictis.

36. Literæ R. Henrici III. in quibus cuſtodiam caſtri Dover, cum comitatu Kantii, aliorumque caſtrorum, & quinque Portuum concedit Edwardo Principi, filio primogenito, pro ſecuritate ſua, conſervatione pacis, & tranquillitate regni.

37. Forma acquietantiæ pro pecunia depoſita in theſauraria B. Mariæ de Angleſeia, anno 1267.

38. Sententia definitiva facta per Radulphum de Sympringham, autoritate Cancellarii Oxon. Judicis a D. Papa delegati, in cauſa, quæ vertebatur inter Magiſtrum Joannem, Rectorem Eccleſiæ de Withekoe Actorem, & Theobaldum, Rectorem Eccleſiæ de Pikewell reum, ſuper ſepultura quorundam Parochianorum & obventionibus ratione ſepulturæ debitis.

39. Conceſſio terrarum in Marewe facta per Priorem & Capitulum domus Hoſpitalis Jeruſalem, in Anglia Willielmo Capellano pro annuo redditu dimidii marcæ, ſub ea conditione, ita ut quando mori eum contigerit, tota ſubſtantia ſua ibidem adunata, cum corpore ſuo, domui iſti remaneat.

40. Conventio inter Edwardum, filium Ailbricti de Sudwerke, & Thomam de Sudwerke, de terris ibi venditis.

41. Legatum Chriſtianæ, uxoris Roberti, Eccleſiæ S. Mariæ de Suthwerca.

42. Veredictum Widonis, aliorumque hominum de Stowa in comitatu Kantii, de hæredibus & terris Roberti de Scalario.

43. Conventio inter Priorem de Sudwerke, & Ricardum de Stow, de ædificanda domo in uſum Prioris.

44. Breve Ricardi Epiſcopi London. de appropriandа Eccleſia de Burgeſted, Abbati & Conventui de Stratford, per Gualterum de Bella Valle, obventionibus & ſalario aſſignatis Vicario.

45. Regiſtrum chartarum Eccleſiæ Elienſis, & ubi erant repoſitæ. Accurate deſcriptum.

46. Libri Saxonici, qui ad manus Joannis Joſcelini venerant.

 47. Nomina

47. Nomina eorum, qui scripserunt historiam gentis Anglorum, & ubi exstant; per Joannem Joscelinum.
48. Relaxatio debiti cuidam Judæo, cum subscriptione Ebraica.
49. Remissio feodi unius militis in Hanfield, quam fecit Hugo de Busey, Priori de Lewes sub variis conditionibus.
50. Charta fundationis Abbatiæ de Pultune, in comitatu Cestriensi, per Robertum pincernam Ranulphi, Comitis Cestriæ; 1158. Conventus hic Benedictinorum translatus erat ad Deulacross, anno 1214. per Radulphum, Canonicum Cestriæ.
51. Charta Roberti de Dena & uxoris ejus Sibyllæ, in qua concedit Priori S. Pancratii Latisaquensis Ecclesiam de Waldrena, cum terris & decimis, & decimam de Calvintona, & potestatem corrigendi & inde expellendi Sacerdotem, si non caste & religiose vixerit.
52. Compensatio inter Priorem & Conventum de Novo loco in Diœcesi Wintoniensi, & Joannem de Arundel, Rectorem Ecclesiæ de Walda, de pensione XII. marcarum eidem Rectori solvenda.
53. Literæ patentes R. Edwardi II. de confirmatione terrarum Hospitalis B. Mariæ extra portam Episcopi London. cum indice benefactorum & terrarum ejusdem.
54. Charta Roberti de Brus, filii Isabelli de Brus, in qua dat Monachis de Wardona, terram de Sterth in comitatu Huntendoniæ.
4. Registrum diplomatum, chartarum, & literarum, de rebus inter Angliam & Scotiam, gestis a temporibus R. Ricardi I. ad tempora R. Henrici V. in Archivis Westmonasterii.
5. Tractatus de Psalmo quinquagesimo, *h.e.* secundum numeros Græcos, ab Auctore antiquo scriptus.

IV. 1. Imaginum ante multa secula depictarum collectio, quæ historiæ V. & N. Testamenti illustrandæ inserviunt.
2. Calendarium vetus.
3. Psalterium Latinum, vetusto charactere exaratum, cum versione Gallica.
4. Cantica V. & N. Testamenti; hymni, *viz.* Benedicite, Te Deum, Oratio Dominica, Symbolum Apostolicum; & Athanasianum, cum versione Gallica vetusta. Doxologia, *gloria in excelsis Deo*, Latine tantum.
5. Litania, in qua Angeli & Sancti invocantur.
6. Orationes & Collectæ.
7. Orationes ad Virginem Mariam, ad S. Michaelem Archangelum, & Sanctos.
8. Quæsitio, *i. e.* oratio S. Augustini, cum aliis orationibus.

V. 1. Nota de pœnitentia Hildebrandi P. dum in extremis ageret.
2. Chronica Chronicarum, *h. e.* Mariani Scoti Chronicon. Exemplar perpulchrum & emendatum.
3. Tabula Paschalis, cum cyclis.
4. Historia Anglicana; seu liber secundus de Regibus Anglis, Dacis, & Normannis.
5. Historia Regum Anglorum a Gulielmo I. ad tempora posteriora Regis Edwardi I. (*h. e.* ad annum Ch. 1298.) cujus acta fusissime enarrantur. Videtur esse pars libri antecedentis, nec quidem dubito.
6. Tractatus de Archiepiscopis, & Episcopis Anglorum. Liber tertius.
7. Epistola Gregorii Papæ ad Episcopos Londoniensem & Eliensem, in qua continetur causa secundæ combustionis Ecclesiæ Norwicensis, data apud *Urbem æternam* 3. idus Martii, Pontificatus anno primo.

VI. Prima pars Granarii Joannis *de loco Frumenti*, *i. e.* Wheathamsted, olim Abbatis Monasterii S. Albani, de historiis & historiographis. Pertingit ad literam L. *Lapide pretioso.*

VII. 1. Vita S. Albani proto-martyris Anglorum, & S. Amphibali, sociorumque ejus.
2. Vita S. Augustini, Archiepiscopi Cantuariensis, & Confessoris.
3. Vita S. Guthlaci, strenuissimi ac perfectissimi Anachoretæ.
4. Vita S. Godebertæ Virginis, & miracula ejusdem.
5. Vita S. Frontonii Abbatis.
6. Passio S. Eleutherii, & Anthiæ matris ejus.
7. Vita & passio S. Ælphegi, Archiepiscopi Cantuariensis & martyris, per Osbernum, Monachum Cantuariensem.
8. Vita S. Ursmari, Episcopi & Confessoris.
9. Vita & passio S. Bonifacii, Episcopi & martyris.
10. Passio S. Symphorosæ, cum septem filiis. Fragmentum.
11. Vita S. Dunstani, Archiepiscopi Cantuariensis, per Adalardum Blandiniensis cœnobii Monachum, qui illam inscribit S. Ælphego, ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo.
12. Vita S. Anselmi, Cantuariensis Archiepiscopi, versibus hexametris. Initium:
Tange Syon cytharam sub amenæ carmine vocis:
Ortus ab occasu sol deducatur ad ortum.
13. Annales Monasterii de Thorney in insula Eliensi ab anno 961. ad annum 1421.
14. Reddituale & descriptio terrarum, cum earundem situ & mensuratione, ad Abbatiam S. Petri de Burgo pertinentium.
15. Breve Chronicon a Christo nato ad annum 1141.

VIII. 1. Liber de compotis diversorum redditurum in Garderoba Regis. Incipit ab anno quarto R. Edwardi II. & continuatur ad annum XI. R. Edwardi III. inclusive.
2. Jocalia & vessellamenta auri & argenti recepta per indenturam de D. Roberto de Tanton, nuper custode Garderobæ domini nostri R. Edwardi III. post conquestum immediate præcedente, apud Wyndsore ultimo die Julii, anno Regis prædicti octavo.

IX. 1. Necrologion, sive obituarium vetustum Regum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, Monachorum, Monialium, aliorumque Anglorum, & Normannorum, per singulos anni menses dispositum. Olim pertinebat ad Ecclesiam Cantuariensem.

2. Frag-

2. Fragmentum obituarii, sive Calendarii emortualis longe vetustioris; Continet enim solum partem mensium Septembris, & Octobris, integrum Novembrem, & partem Decembris.
3. Nomina Fratrum & sororum Dionysiorum S. Anselmi, aliorumque, qui in istam societatem erant recepti.
4. Registrum chartarum Magistri & Fratrum militiæ Templi in Anglia, continens literas Regias, Pontificales, Episcopales de terris, & earundem confirmatione, privilegiis, & juribus in Wilburgham, & Carleton.
5. Registrum chartarum Fratrum Sanctæ domus Hospitalis Jerusalem de terris in Chippenham, Asheley, & Silverley, & de earundem redditibus, libertatibus, &c.
6. Indenture between King Henry VIII. and Edward North Esquire, Treasurer of the Court of augmentations, about the exchange of the Mannors of Hadenham and Codyngton, in the county of Buckingham, for lands in the county of Suffolk and Cambridgeshire, cum diplomate Regio.
7. Instrumenta varia de patronatu rectoriæ S. Michaelis in Woodstreet London, concessa a Gulielmo Burnet, D. Edwardo Northo Militi, item Rectoriæ de Asheley in comitatu Cantabr. a Joanne de Veer, Comite Oxon. Rectoriæ de Molton, cum Vicaria ejusdem in comitatu Suffolciensi, a Thoma, Archiepiscopo Cantuariensi, & Rectoriæ de Chesterton in comitatu Huntingdoniæ, a Ricardo Andrews, & Michaele Turner, eidem Domino North.
8. Diplomata de domo & Ecclesia Monasterii de Eynesham sive Eguesham in comitatu Oxon. prædiisque ad illud Monasterium spectantibus, eidem D. Northo datis.
9. Valores diversorum maneriorum, Rectoriarum, &c. in comitatu Oxon. Gloucest. & Buckingham, cum diplomatibus Regiis de redditibus eidem concessis.
10. Forma & modus, qui observari debet in coronatione Regis, cum nominibus officiariorum principalium, in die coronationis Regis. Deest initium. Videtur scriptus tempore R. Henrici VI.
11. The manner of making of Knights, after the custom of England in time of peace, and at the Coronation; that is, Knights of the Bath.
12. The ordinance of a King, when he shall go to his procession.
13. Coronatio R. Henrici VI.
14. The marriage of the Duke of Burgundy with the Princess Margaret, sister to King Edward IV. with the whole ceremony of it, the 18th. day of June, in the eighth year of the said King, and of her reception in several parts of Flanders.
15. Tractatus de carne & sanguine Christi adversus eos, qui dicunt non aliam esse carnem, quæ sumitur de altari, quam quæ nata est de Maria Virgine, & passa in cruce, & quæ resurrexit de sepulchro, &c.
16. Literæ procuratoriæ & libelli Prioris, & capituli Ecclesiæ Cantuariensis, & Ricardi de Feringlies, Archidiaconi Cantuariensis, de controversia circa jurisdictionem, ad quem nimirum pertinebat, vacante sede. Multa præclara ex monumentis Ecclesiæ illic adduntur, de jure capituli in exercenda jurisdictione, tam provinciali quam Diœcesana, durante ista vacatione, cum instructionibus & instrumentis, ab utraque parte productis, & historia totius processus.
17. Regulæ quædam ordinatæ in Capitulo generali A. D. 1253. Benedictinorum, uti videtur, de officiis & missis in diebus Benefactorum, qui illic nominantur, anniversariis celebrandis. Unica pagina.
18. Libellus, qui *Philomela* vocatur, sive meditatio Joannis de Hovedeno, Clerici Alionoræ, Reginæ Angliæ, Matris Regis Edwardi, de nativitate, passione, & resurrectione D. Salvatoris edita.
19. Quindecim gaudia Virginis gloriosæ, edita ab eodem.
20. Ejusdem Cantica L. sive meditatio in honorem D. Salvatoris.
21. Ejusdem meditatio de Salvatoris redolentissima passione, *Cythara* dicta.
22. Ejusdem salutationes B. Virginis, quibus inseritur memoria Dominicæ passionis ad honorem Virginis Matris & laudem Domini Salvatoris.
23. Ejusdem laus de B. Virgine, quæ *Viola* vocatur.
24. Ejusdem *Lyra*, extollens B. Virginem.
25. Ejusdem Canticum amoris.
Omnia iisdem versibus rhythmicis.

X. 1. Letter of Queen Jane, dated at Hampton Court 12. October, about the birth of a Prince.
2. Letter of the Physicians about the Queen's extream illness.
3. A Letter of Richard Gresham for a solemn Dirige and Mass in St. Pauls for the Queen, and that the Lord Mayor, Eldermen, and Commoners be present.
4. Original letters, in English and Latine, of Prince Edward to King Henry VIII. to the Queen, and the Duke of Somerset.
5. King Edward VI. his diary of his reign, written with his own hand.
6. The names of the whole Council, with their division into several Commissions and charges.
7. Certain articles devised and delivered by the King's Majestie for the quicker, better, and more orderly dispatch of matters by his Majestie's privy Council.
8. The reasons and causes, why it is now most necessary to have a mart in England.
9. The discommodities and lets to the mart to be kept in England.
10. Articles desired by Richard Duke of York for the government of France, when he received the same by indenture, 18. Hen. VI.
11. About reforming the rules of the order of the Garter.

12. The

12. The ſame in Latin.
13. About the governance of the Realm, Eccleſiaſtical and Temporal. All written with King Edward the ſixth's own hand.

XI. 1. About the government of London by Portgreves.
2. A liſt of the ſeveral Wards of London, and the Pariſhes which they contain, with all the houſes of Religion, Monaſteries, Colleges, and Chappels, within the City, Weſtminſter, and Southwerk.
3. A Chronicle of England from the firſt year of King Richard the firſt, to the laſt year of King Richard the third: in every year of which he ſets down the names of Bailives, Mayors, and Sheriffs.
Ibi dicitur eſſe volumen ſecundum.

XII. 1. Regiſtrum chartarum Hoſpitalis de Burton, S. Lazari de Jeruſalem in Anglia, *i. e.* in agro Leiceſtrenſi, cum evidentiis, & bullis Papalibus ad idem Hoſpitale ſpectantibus, collectum & ordinatum, anno 1404. & anno R. Henrici IV. ſexto.
Dedit vir nobiliſſimus D. Chriſtophorus Hatton, Baro de Kirby, in comitatu Northampton.
2. Regiſtrum chartarum quarundam cantariarum in Eccleſia Parochiali de Walſhale in comitatu Staffordienſi fundatarum, cum multis aliis chartis, ad Dominium & Eccleſiam iſtam pertinentibus.
3. Regiſtrum chartarum Domini Henrici de Bray de Harleſton in comitatu Northamptonienſi. Præmittur brevis deſcriptio mundi, quædam de comitatibus, Epiſcopatibus & Regibus Angliæ.
4. The life and martyrdom of S. Wolfade and S. Ruffin, put to death by their father, Wulfere, King of the Mercians, for embracing the Chriſtian faith; in old Engliſh verſe.

D

I. 1. Hiſtoria de Offa primo, qui ſtrenuitate ſua ſibi Angliæ maximam partem ſubegit, & de Offa ſecundo: in qua martyrium S. Alberti, cui tertia filia R. Offæ tradenda fuit nuptui, cum figuris in ſumma pagina, omnia, quæ acciderunt, repræſentantibus. Liber cœnobii S. Albani a Fratre Matthæo Pariſienſi datus.
2. Qualiter non complacuit B. Albano alibi morari, niſi ubi paſſus eſt.
3. De inventione & tranſlatione S. Albani, & de R. Offa, fundatore Eccleſiæ S. Albani.
4. Vitæ Abbatum Eccleſiæ S. Albani, per eundem Matthæum.
5. Prophetia Methodii, Epiſcopi & Martyris de ultimis temporibus.
6. Liber miſcellaneus hiſtoricus ingentem molem rerum curioſarum & memorabilium continens, eodem Auctore.
7. Antiqua & primitiva munimenta Eccleſiæ S. Albani.
8. Reſponſiones Magiſtri Laurentii de S. Albano pro Comite Kantiæ, A[illegible] Burgo, contra quem movit D. R[illegible] quæſtiones.
9. Figura Elephantis invecti in A[illegible].
10. Multa Inſignia gentilitia d[illegible].
11. Magna charta R. Joannis, qu[illegible] ricus III. juravit iterum tenere, in aula Weſtmonaſterii, & lata eſt [illegible] in infractores.
Liber admodum præclarus, & ſumma cum cura & diligentia, quam mihi adhibere (id enim dolens fateor) non licet, jure merito verſandus, ſed omnia iſta addit[illegible] hiſtorica, accurate in ſua editione collegit D. Watſius, ad quem curioſum Lectorem remitto.

II. 1. Chronicon ab orbe condito ad [illegible] Regis Edwardi I. *h. e.* ad annum [illegible]. a quodam Monacho Roffenſi conſcr[illegible].
2. Commendatio lamentabilis in tranſitu magni Regis Edwardi IV. ſecundum Joannem de Londonia, cum commendationibus lamentabilibus Comitum & Baronum, Regum, Margaretæ Reginæ, Præſulum, Militum, Clericorum, & Laicorum; deinde continuatur Chronicon ad annum 1377.
3. Chronica Joannis de Oxenedes, Monachi S. Benedicti de Hulmo, ab adventu Horſæ & Hengiſti, Saxonum in Britanniam ad A. D. 1293. multis de fundatione & dotatione iſtius monaſterii præmiſſis.
4. Chronicon Monaſterii de Bello ab incarnato Chriſto ad annum 1206.
5. Fragmentum veteris notitiæ Epiſcoporum.
6. Brevicula ſeries & ſucceſſio Regum Angliæ ab Æthelberto ad R. Edwardum I. Gallice.
7. Brevis deſcriptio regni Scotiæ.
8. Genealogia Æthelwolfi, Regis.
9. De confiniis Epiſcopatuum notula, Anglice.
10. De Eccleſiis fundatis ante adventum Normannorum in Angliam.
11. De mirabilibus Angliæ.
12. Nomina Regum in Britannia majori regnantium ante nativitatem Chriſti, ad R. Ricardum II.
13. Nomina Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Angliæ.
14. De la foundacion & ordonnance del ordre, & compaignie de la Jartiere.
15. Les droiz & largeſſes appartenant & d'annciennetè accouſtemez aux Rois d'armes, ſelon l'uſance du Angleterre.
16. La forme & maniere, comment l'appellant & defendant doivent plaider en la Court devant le Coneſtable & Marchall.
17. L'ordennance de faire jouſts & tournois.
18. L'ordennance & maniere de creez & faire nouveaulx Chevaliers de baing du temps de paix, ſelon la couſtume de Angleterre.
19. Literæ fictitiæ ſub nominibus Principum, Gallice.
20. Loci quidam Theologici de timore Domini, de ſapiente & ſtulto, de ſuperbia, de humilitate, de virtutibus cardinalibus, &c.
21. Conſtitutiones Roberti, Epiſcopi Lincoln. Rectoribus Eccleſiarum, Vicariis, & Sacerdotibus

Sacerdotibus parochialibus ejusdem dioecesеos directæ.
22. Walterus, Monachus Gisburnensis de gestis R. Edwardi III.

III. 1. Registrum chartarum & munimentorum Hospitalis S. Leonardi Eboracensis.
2. Quædam varii generis ad Abbatiam de Evesham pertinentia.
3. Breves historicæ narrationes de rebus Anglicis, absque aliquo ordine temporis collectæ.
4. Circuitio antiquarum bondarum forestiæ de Feckenam.
5. Versus super campanas insculpti.

IV. 1. Quatuor Evangelia, Latine, ex translatione S. Hieronymi, cum versione interlineari Saxonica.
In fine narrationes breviculæ de tempore, quando, & quorum opere completum fuit hoc opus; Saxonice. Post, Latine, *Eadfrith, Oethilvald, Billfrith, Aldred hoc Evangelium Deo & Cuthberto construxerunt & ornaverunt.* Ex quibus verbis, ut adnotat Jamesius, facile intelligamus, eundem hunc codicem esse, de quo tot miracula recitantur in Chronicis & Annalibus Dunelmensis Ecclesiæ. Liber præclarissimus elegantissimis characteribus & curiosissimis pro istius seculi arte picturis, & delineationibus ornatus: de quo fusius egi in historia hujus bibliothecæ.

V. 1. Mappa terræ habitabilis.
2. Flores historiarum, sive historia ab orbe condito ad annum 35. R. Henrici III. *i. e.* ad annum 1251. per Matthæum de Parisio, Monachum S. Albani. Dicit ibi: *Fluxerunt ab incarnatione Domini viginti & quinque annorum quinquagenæ*; à tempore vero R. Ricardi, *h. e.* ab anno 1189. dubitari potest, an Chronicon istud Regum Angliæ sit ejusdem Auctoris: nam longe diversa est Scriptura, & paginæ incipiunt ab unitate numerari: sed fol. 226. b. Lector remittitur ad librum additamentorum, quod ipsius Matthæi esse supra vidimus; & hæc verba quoque in fine hujus secundæ partis apponuntur: *Terminantur hic Matthæi Chronica.* Inde dubium istud tollitur.
3. Quædam gesta de R. Arthuro, ubi non pauca de S. Dubricio.

VI. 1. De pace Franciæ & Angliæ.
2. Literæ R. Edwardi de concordia facta Londini inter illum & R. Franciæ de controversa terra de Belleville, & aliæ de Pontino, Guines, Cales, & aliis terris, Gallice.
3. Donatio principatus Aquitaniæ per R. Edwardum Edwardo Principi Walliæ, filio suo, post pacem factam inter Reges prædictos, cum resorto terrarum Regi Angliæ reservato, &c.
4. Tractatus Cartonensis ex parte R. Franciæ, Joannis, sive de pace Franciæ & Angliæ.
5. Relaxatio facta per R. Ispanniæ Regi Angliæ de Vasconia.
6. De treugis inter Reges Angliæ & Scotiæ.
7. Processus factus ad coronationem R. Ricardi II. ubi de officiis, D.D. *h. e.* Senescalli, Constabularii, Marescalli, &c.
8. De coronatione Regis.
9. Modus tenendi Parliamentum.
10. De exequiis Regalibus, cum ipsos ex hoc seculo migrare contigerit.
11. Chronica bona & compendiosa de Regibus Angliæ tantum, a Noe usque in hunc diem: *h. e.* ad coronationem R. Ricardi II. nimirum 17. Kal. August. A. D. 1377.
12. Modus faciendi duellum coram Rege, Gallice.
13. Literæ R. Edwardi, constituentes Thomam de Brotherton, Comitem Nottingham, Marescallum Angliæ.
14. Usages, que Thomas de Brotherton, filz au Roy, clamoit a user per l' office Mareschalsie; partim Latine, partim Gallice.
15. Officium Mareschalli tempore pacis; partim Latine, partim Gallice.
16. Estatutz, ordenances, & custumes faites entre le Roy Richard II. & Johan, Duc de Lancaster, Seneschal de Engleterre, Thomas Count d' Essex & Buckingham, Conestable d' Engleterre, & Thomas de Mowbray, Counte de Nottyngham, Mareschal de Engleterre, & des autres Seigneurs, Contes, Barons, & Baronetts, & sages Chevaliers, a Duresme, 17. Juyl, l' ann du regne noefisme, numero XXVI.
17. Les ordenances de les trois batailles, & de les deux eles du bataille du Roy a son primier viage en Escoce, l' ann de son reigne noefisme.
18. Historia itineris R. Edwardi I. in Scotiam anno regni vicesimo quarto, quando debellavit Scotiam, & de Parlamento post redditum ejus Berwick habito.

VII. Catalogus Benefactorum & omnium eorum, qui in plenam fraternitatem Monasterii S. Albani recepti erant: cum compendiariis historiis eorundem, & elegantissimis picturis. Ex dono Vicecomitis S. Albani, anno 1623.

VIII. 1. Historia de Regibus majoris Britanniæ, per Galfridum Monumetensem ad Robertum Comitem Claudiocestriæ, quam de Britannico in Latinum transtulit.
2. Exceptiones de libro Gildæ Sapientis, quem composuit de primis habitatoribus Britanniæ, quæ nunc Anglia dicitur, & de excidio ejus. In fine adduntur quædam de S. Patricio; de bellis Britonum cum Anglis numero XII. de nominibus civitatum majoris Britanniæ, quæ sunt numero XXVIII. & de mirabilibus Britanniæ, quæ sunt XXI.
3. Historia Normannorum per Dudonem, super congregationem S. Quintini Decanum, ad Alberonem, Episcopum Laudanensem; versibus subinde intermistis, cum additamentis ex sexto libro historiæ Willielmi, Gemeticensis Monachi, & continuatione ad tempora R. Henrici II.
4. Vita Alexandri Magni R. Macedonum.
5. Epistola ejusdem ad Aristotelem Magistrum, de situ Indiæ.
6. Numerus & nomina librorum venerabilis Bedæ Presbyteri.

7. Quædam prophetia Merlini Sylvestris de regno Anglorum.
8. Descriptio Walliæ per Giraldum Cambrensem Archidiaconum, ad Hubertum, Cantuariensem Archiepiscopum.
9. Disputatio inter Clericum & Militem super potestate commissa Prælatis Ecclesiasticis, atque Principibus terrarum.
10. De origine Gigantum in insula Albion olim habitantium, & de nomine ejusdem insulæ, quæ nunc Anglia dicitur.
11. De longitudine & latitudine Angliæ, & quod in ea triginta duo comitatus, duo Archiepiscopatus, & quatuordecim Episcopatus continentur.
12. Historia Polychronica Ranulphi Cestrensis, quæ pertingit ad 50. annum R. Edwardi III. *h. e.* ad annum 1376.
13. De Monasterio Colecestrensi & ejus Fundatore, ex libro tertio Mariani, cum figura ejus, & nominibus Abbatum ab Hugone Eboracensi, Abbate primo, ad Thomam Marshall, Abbatem tricesimum.

IX. 1. Livre d'une Dame des belles cousines de France, & du tres vaillant Chevalier, le Sire de Saintre.
2. De tres Loyalles amours & tres piteuses fins de Messire Floridan Chevalier, & de la tres belle & bonne Damoiselle Eluyde, translaté de Latine en Francois; cum elegantissimis picturis.
Inscribitur Joanni Andegavensi, Duci Calabriæ & Lotharingiæ.

X. 1. Liber de rebus gestis in sancto Concilio Niceno, ex Græco versus; vide annon sit Gelasii Cyziceni; ex Vaticana Bibliotheca exscripsit H. Cuffius.
2. Series impressa Imperatorum a Claudio Gothico ad Julianum Imperatorem, in qua eorum genealogiæ, & præcipue Constantini maximi continentur.
3. Chronica ab anno 1287. ad annum 1322. inclusive, per Nicolaum de Trivet. Ita inscribitur, sed differt ab Annalibus Triveti. Sequitur
4. Tractatus seu continuatio Magistri Adæ de Merymouth, ad annum 1346. inclusive.
5. Metæ inter comitatus Huntingdon, Northampton, & Cantebrige, compertæ per inquisitionem factam apud Huntingdon, anno 28. R. Henrici III.
6. Inquisitiones de prædiis in hundredo de Normancrosse, in comitatu Huntingdon.
7. Matriculus Domini Episcopi Lincolniæ, de omnibus Ecclesiis in Archidiaconatu Leicestriæ, A. D. 1220. Sequitur ultima taxatio Ecclesiarum circa eundem annum, Denarii S. Petri, & pensiones.
8. Taxatio spiritualium bonorum & temporalium Abbatis & Conventus Leicestrensis, per Oliverum Lincoln. Episcopum, anno 1292.
9. Valor Ecclesiarum in Archidiaconatu Derby, cum taxatione bonorum temporalium Prioris & Conventus de Repyndon, Prioris de Greseley, Prioris de Tuttesbury, & aliorum Abbatum, &c.
10. Registrum decima[illegible] Ecclesiarum in Archidiaconatu [illegible] cum decimis bonorum, tam [illegible] quam temporalium, omnium Re[illegible] in dicto Archidiaconatu, ac pen[illegible] pro quibus Rectores Ecclesiæ solve[illegible] debent.
11. Taxatio solutionis int[illegible] Abbatum, & Priorum, & omnium [illegible] infra Decanatum Coventr[illegible] de [illegible].
12. Expensæ, quæ solent fi[illegible] apud [illegible] a collectore.
13. Modus scribendi acqui[illegible]ta [illegible] pro Ecclesia.
14. Modus scribendi literam [illegible] pro non solutione.
15. Participatio feodorum M[illegible] Rogero Quinci, quondam Co[illegible] facta apud S. Neotum, in vi[illegible] tatis, anno gratiæ 1277. in[illegible] ejusdem hæreditatis.
16. Fragmentum cujusdam Chro[illegible] rebus Anglicis; unica pagina [illegible] sum.

XI. History of the Kings of Sco[illegible]nd [illegible] their first coming out of Par[illegible] in[illegible] and Scotland, to King James the [illegible] A. D. 1405. in old Scotch verse.

E

I. 1. Vita S. Oswaldi Eboracensis [illegible] copi, Ælfrici, Cantuariensis Ar[illegible] tempore, ut propria manu illic annotat D. Usserius Armachanus, circa annum Domini millesimum scripta.
2. Vita S. Egwini, Wigorniensis [illegible] per Brithwaldum, Wigorniensem [illegible] chum, anno 731.
3. Vita S. Swithini, Wintoniensis Episcopi, per Lantfredum, Wintoniensem [illegible] chum, anno 980. cum libello de miraculis, & hymno in honorem illius.
4. Vita, sive de virtutibus S. Andreæ Apostoli, per Gulielmum Malmesburiensem.
5. Passio S. Martinæ Virginis, Kalendis Januariis.
6. Vita & miracula S. Basilii, Episcopi, per Amphilochium, Episcopum Iconii, eodem die.
7. Passio S. Genevefæ Virginis.
8. Passio S. Theogenis martyris.
9. Passio S. Luciani martyris, VI. Idus Jan.
10. Passio SS. martyrum, Juliani & Basilissæ, V. Id. Jan.
11. Vita S. Hilarii, Episcopi & Confessoris, Id. Januarii.
12. Passio S. Felicis martyris, XIX. Kal. Feb.
13. Eodem die passio alius Felicis Presbyteri.
14. Passio S. Marcelli Papæ, XVIII. Kal. Febr.
15. Vita, vel visio S. Fursei, XVII. Kal. Febr.
16. Vita S. Sulpicii Episcopi, XVI. Kal. Febr.
17. Prologus SS. Geminorum, & S. Desiderii, Episcopi & martyris, urbis L[illegible]onicæ.
18. Eodem die Pseusippi, Eleusippi, & Meleusippi Passio.
19. Passio S. Sebastiani martyris, & Comitum ejus,

ejus, qui passi sunt Romæ, xiii. Kal. Februarii.
20. Passio S. Agnetis Virginis, xii. Kal. Febr.
21. Passio SS. martyrum, Fructuosi Episcopi, Augurii, & Eulogii, Diaconorum, qui passi sunt Turracone sub Valeriano, & Æmiliano, Tusco Bassoque Coss. xii. Kal. Febr.
22. Passio S. Patrocli martyris.
23. Passio S. Viocentii martyris, qui passus est in civitate Valentia sub Datiano Præside, xi. Kal. Febr.
24. Passio S. Potiti martyris, qui sub Antonino Imperatore, Gelasio Præside, passus est.
25. Passio S. Asclæ martyris, x. Kal. Febr.
26. Passio SS. Babylæ, & trium puerorum, qui passi sunt in civitate Antiochia, ix. Kal. Febr.
27. Passio S. Polycarpi, vii. Kal. Febr.
28. Passio S. Leucii Tyrsi Eugalinici, v. Kal. Febr.
29. Vita S. Brigidæ Virginis, Kal. Febr.
30. Purificatio B. Virginis, cum sermonibus B. B. Augustini, & Ambrosii de eadem.
31. Passio S. Tryphonis, iii. Nonas Febr.
32. Passio S. Agathæ, Virginis & martyris, apud Siciliam; civitate Cathinensium, iii. Non. Febr.
33. Vita S. Amandi, Episcopi & Confessoris.
34. Passio S. Valentini martyris, xvi. Kal. Mart.
35. Passio S. Julianæ, virginis & martyris, in civitate Nicomediæ sub Maximiano, xiv. Kal. Mart.
36. Actus Theophili, qui Christum negavit, & recuperavit, xi. Kal. Mart.
37. Vita S. Albini Episcopi, Kal. Mart.
38. Passio SS. Perpetuæ & Felicitatis, Non. Mart.
39. Passio SS. xl. Militum martyrum, Id. Mart.
40. Vita S. Gregorii, Papæ Romæ, xii. Mart.
41. Confessio S. Patricii Episcopi.
42. Passio S. Theodosiæ virginis, iv. Non. April.
43. Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, v. Id. Apr. De Græco transtulit Paulus Diaconus Ecclesiæ Neapolis.
44. Vita S. Guthlaci Anachoretæ, per Felicem monachum Crotlandensem, anno 730.
45. Vita S. Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, 2. Non. Apr.
46. Passio S. Eleutherii Episcopi, & Anthiæ matris ejus, xviii. April.
47. Passio S. Georgii martyris, ix. Kal. Maii.
48. Passio S. Marci Evangelistæ, xxv. Apr.
49. Passio S. Vitalis, iv. Kal. Maii.
50. Passio S. Jacobi Apostoli, Kal. Maii.
51. Passio S. Philippi Apostoli, eodem die.
52. Passio B. Pancratii martyris, xii. Maii.
53. Passio Nerei, & Achillei, eodem die.
54. Rescripta Marcelli.
55. De obitu Petronellæ. Passio Feliculæ.
56. Passio Euticetis, Victorini, & Maronis.
57. Passio Domitillæ, Euphrosynæ, Theodoræ virginis, & Sulpitii ac Serviliani sponsorum.
58. Passio S. Torpetis martyris, xvi. Kal. Jun.
59. Relatio Pastoris Presbyteri titulo S. Potentianæ, ad Timotheum Presbyterum.
60. Vita S. Germani, Kal. Jun.
61. Passio S. Cooonis martyris, iv. Kal. Jun.
62. Passio SS. Marcellini & Petri, iv. Noo. Jun.
63. Passio S. Herasmi, Episcopi Antiochensis, iii. Non. Jun.
64. Passio S. Bonifacii martyris, Non. Jun.
65. Vita S. Medardi, Id. Jun.
66. Passio SS. Primi & Feliciani.
67. Passio S. Gethulii martyris, iv. Id. Jun.
68. Passio SS. martyrum, Basilidis, Tripodis, & Mandalis, ii. Id. Jun.
69. Passio S. Symphorosæ, uxoris B. Gethulii; cum vii. filiis, v. Kal. Jul.
70. Passio SS. martyrum, Viti, Modesti, & Crescentiæ, xvii. Kal. Jul.
71. Sermo S. Augustini in natale S. Joannis Baptistæ.
72. Alius ejusdem.
73. Passio SS. Joannis & Pauli, iii. Kal. Jul.
74. Passio S. Petri Apostoli.
75. Passio S. Pauli Apostoli, qui passus est sub Nerone Cæsare, Crasso & Basso Coss. ii. Kal. Jul.
76. Passio SS. martyrum, Processi & Martiniani, vii. Non. Jul.
77. Passio S. Felicitatis, cum vii. filiis, vi. Id. Julii.
78. Passio SS. Rufinæ & Secundæ, eodem die.
79. Vita S. Praxedis virginis, xii. Kal. Augusti.
80. Vita S. Wandregisili Confessoris, xi. Kal. Augusti.
81. Passio S. Apollinaris martyris.
82. Passio S. Jacobi Apostoli.
83. Vita septem dormientium, qui in Epheso dormierunt, vi. Kal. Aug.
84. Passio S. Pantaleonis, xxvii. die Julii.
85. Passio SS. Simplicii, Faustini, & Beatricis, xxix. Jul.
86. Passio S. Felicis, eodem die.
87. Passio S. Stephani martyris, iv. Non. Aug.
88. Passio S. Cassiani, Non Aug.
89. Passio SS. martyrum Sixti, Laurentii, & Hippolyti, iv. Id. Aug.
90. Passio S. Donati, Episcopi & martyris, vii. Id. Aug.
91. Vita S. Gaugerici, Episcopi & Confessoris, iii. Id. Aug.
92. Passio S. Eupli, Levitæ & martyris, ii. Id. Aug.
93. Passio S. Eusebii, martyris in Roma, xiv. die Aug.
94. Epistola S. Hieronymi ad Paulum, & Eustochium, de assumptione Sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ.
95. Passio S. Symphoriani martyris sub Aureliano, xi. Kal. Sept.
96. Vita S. Audoeni, Episcopi & Confessoris, ix. Kal. Sept.
97. Passio S. Bartholomæi Apostoli.
98. Passio S. Genesii, viii. Kal. Sept.
99. Vita S. Augustini Episcopi, in Provincia Africana.
100. Vita S. Savinæ virginis, iv. Kal. Sept.
101. Passio S. Seraphiæ, eodem die.

102. Vita S. Bertini Abbatis, Non. Sept.
103. Passio S. Adriani martyris, viii. die Sept.
104. Sermo de nativitate S. Mariæ.
105. Vita S. Audomari Episcopi, v. Id. Sept.
106. Passio S. Jacincti martyris, iii. Id. Sept.
107. Passio S. Cornelii martyris, xviii. Kal. Octob.
108. Passio S. Cypriani martyris, eodem die.
109. Passio S. Euphemiæ, xvi. Kal. Oct.
110. Passio SS. Luciæ & Germiniani, eodem die.
111. Vita S. Audberti Episcopi, xv. Kal. Oct.
112. Passio S. Matthæi Apostoli, xxi. die Septs.
113. Passio SS. Mauritii, Exsuperii, Candidi, Victoris, sociorumque eorum, x. Kal. Oct.
114. Passio S. Firmini Episcopi, iv. Kal. Oct.
115. Passio S. Cypriani, vi. Kal. Octob.
116. Passio S. Justinæ virginis, eodem die.
